


58



DISSERTATIO PHILOSOPHICA
INAUGURALIS
DE

S O N O.

QUAM,

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Autoritate Magnifici Rectoris,

D. FRANCISCI FABRICII,

S. S. THEOL. DOCT. HUJUSQUE, NEC NON
ORATORIÆ SACRÆ, IN ACAD. LUGD. BAT.

PROFESSORIS ORDINARII, UT ET EC-
CLESIÆ IBIDEM PASTORIS;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,
& Nobilissimæ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ Decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS IN PHILOSOPHIA,
ET LIBERALIUM ARTIUM MAGISTERIO,

Summisque Honoribus & Privilegiis ritè ac
legitimè consequendis,

Publico ac Solenni Examini submittit

GODOFRIDUS DU BOIS, Ceuininga-Zelandus.

Ad diem 6. Februarii 1725. ab hora 8. ad 10. loco solito.



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud SAMUELEM LUCHTMANS, 1725.

238 A.

D. HENRICO WEFERDEN.

M. C. S. abq. Vnde legamus? Pragmata Regalia.

Auctoratio quo magno summo honore prolegenda

go

NON NEC NON

AN IRN CELEBERRIMIS DOCUMENTIS
AC DISTINCTIONIBUS.

D. GUILIELMO IACOBO.

A. L. M. P. M. G. J. M. D. O. R. Riccius Zocca
Tardozio, Alzoni & Valtorta in Acad. Trivulzii
Paviae.

Promotione quo Homo universitatis

D. IACOBO WITTECHIO.

A. L. M. P. M. D. O. R. Schmidius Recuperatus in Acad.
Paviae Bay, Tolentino;

Excepione quo subpiccagia

Dicitur quod puerus puerus puerus

INGENIUS ET INGENUUS

qui SAMUELEM IN AUCTORI

VIRO DOCTISSIMO, EXPERTISSIMO,

D. HENRICO WEERDEN;

M. D. & apud Amstelodamenses Practico felicissimo,

Avunculo suo magno summo honore prosequendo.

NEC NON

*VIRIS CELEBERRIMIS, DOCTISSIMIS,
ACUTISSIMISQUE,*

**D. GUILIELMO JACOBO
S GRAVESANDE,**

*A. L. M. Phil. & Jur. Utr. Doct., Regiae Societ.
Lond Socio, Astron. & Math. in Acad. Lugd. Bat.
Professori ,*

Promotori suo Honoratissimo.

D. JACOBO WITTICHO;

*A. L. M. Phil. Doct., ejusdemque Facultatis in Acad.
Lugd. Bat. Professori ,*

Præceptoris suo suspicio.

*Dissertationem hancce Inauguralem
Sacram scribit*

AUGTOR.

SOTOUA



P R A E F A T I O.

Destquām de doctorali gradu, summisque in PHILOSOPHIA honoribus, acquirendis cogitare cœpi; ut laudatissimis hujus Academiæ legibus satisficeret, pro Inauguralis dissertationis themate præ cæteris mihi hæc de SONO arrisit materia; cum quod pulchra admodum, tum quod minus vulgaris sit. Primò autem in animum induxeram ea præmittere, quæ de pendulorum motu & aëris naturâ ad sonorum explicationem necessaria erant, ne dein aliquid supponere opus esset; verùm tanta fiebat moles, ut Disputationis limites longissimè excederet; quare his iterum ablatis & suppositis, reliquam tantum de Sono materiam, quâ potui brevitate & perspicuitate, proposui, non nunquām etiam brevitatis causâ quarundam propositionum demonstrationes pure Mathematicas, apud alios reperiendas, vel facilè deducendas, omittens, ipsasque tantum propositiones adhibens. Novi quid Lectōr non inveniet, sed omnia ferè ex aliis hausta; à juvene autem non alicius rei prima inventio, sed rerum ab aliis jàm inventarum cognitio tantum exigitur. Quidquid desit, Lectorem suâ benevolentia pensaturum, aut ubi in ratiocinio minus felix errorem commiserim, æqui bonique consulturum, certissimè expecto.

A

DIS.

2

DISSERTATIO PHILOSOPHICA
INAUGURALIS
DE
SONO.

§. I.

DE SONO acturus primò noto, quod hæc vox *Soni* duplē habeat significationem: significat enim 1. sensum illum, vel ideam hanc, quam illa corpora, quæ sonantia, vel sonora vocantur, vehiculo, seu medio aërio, vel simili, & organis auditus, mediantibus, in nobis excitant. 2. Notat etiam id, quod in corporibus sonantibus, ut est chorda, vel campana, aut fistula; in medio deferente, quale est aër; in organis auditus inest, per quod in mente excitat sonus n. 1.

§. 2. Quidnam sonus (§. 1. n. 1.) definitus sit, nemini incognitum esse potest, qui vel semel tantum audivit: ignorant fortè à nativitate surdi: verbis autem depingi minimè potest; tales enim animi sensus, vel ideas, verbis explanare nemo mortalium potest, Sonus (§. 1. n. 2.) definitus notat tria: 1. in corporibus sonantibus, 2. in medio deferente, 3. in organis auditus illam physicam conditionem, quæ menti ideam soni, seu sonum (§. 1. n. 1.) exhibet: hæc autem physica conditio sonus eorum dicitur. De hac physicus tantum agere potest: hanc nunc indagare mihi proposui, quidnam sit sonus in corporibus sonantibus, &c. in mediis sonum ad aures nostras deferentibus, & quænam ejus præcipuae sint proprietates ac modificationes, in hac philosophicâ; quidnam verò sit in organis auditus, in physiologico-medicâ dissertatione traditurus.

§. 3. Ut ergò primò videamus, quidnam illud in corporibus sonantibus sit, quod sonus eorum dicitur, primò omnium examinanda sunt illa corpora, quæ nervis, seu chordis constant, *Ex opere* five

DISSERTATIO PHILOSOPHICA INAUGURALIS.

3

Sive *ūtrata* dicta Græcis. In his omnibus observamus, quod chordæ dūm sonum edant, tensæ sint, & in vibrationes, seu reciprocos itus & reditus, quos ope sui elateris peragunt, agitantur, variè in variis instrumentis, ut examinanti illa perspicuum est. Hæ vibrationes ipsi nudo oculo; & chartula plicata chordæ imposta vel excutitur, vel, si maneat, continuò subsultat, & suo tremulo, quo agitatur, motu, chordæ vibrationes satis demonstrat: ipsa elasticitatis natura præterea evincit, tales vibrationes à chordâ elasticâ, tensâ, agitatâ necessariò debere fieri.

§. 4. Hinc (§. 3.) crediderunt multi, quod in his vibrationibus sensilibus, majoribus, totalibus, chordarum sonus consisteret, si-
ve quod illæ essent causa immediata soni: verùm hæc conclusio cum iphis experimentis non convenit; ea enim ostendunt manifestè, chordarum sonum non à motu tremulo visibili, sed ab alio motu tremulo, quo in motu memorato (§. 3.) particulæ minores afficiuntur, dependere. Ex multis pauca tantum memoro. 1. Chorda clavicymbali agita-
ta sonum edit: hoc sono jàm cessante, tota corda adhuc movetur,
& sensibiles vibrationes adhuc peragit, ut experimur, huic chordæ ungue lenissimè admoto. Ilicò autem ac unguis chordæ lenissimè tantum admovetur, ità ut unguis non chordam, sed corda potius unguem feriat, novus quidam sonus, seu fremitus oritur. Hic sanè non potest oriri à vibrationibus totalibus, nam ante unguem admotum non audiebatur, & hæ tamen vibrationes tunc fiebant, imò majores erant, chordæ enim admotus unguis potius ejus vibrationes totales fisiit, quam auget; & præterea etiam omni momento eadem spontè fiunt minores, à resistentiâ aëris & attritu ad extrema parte quâdam motus sublatâ. Liquet ergò quod hic fremitus non dependeat immediate à vibrationibus totalibus, sed potius à tremoribus minimarum partium hoc attractu auctis. 2. Si corda chelyos plectro perstringatur lentissimè, vibrationes totales admòdum parvæ sunt, aliquandò nudo oculo vix visibles, sonus tamen satis intensus est; si autem digito inflectatur satis fortiter, & dimittatur, vibrationes post dimissionem sunt multò majores, sonus tamen longè obtusior & minor. 3. Ejusdem instrumenti chordæ intensum & limpidum edunt sonum, quamdiù plectro stringantur; ilicò autem, ac plectrum sublatum est, evanescit sonus. Contrarium fieri deberet, si à vibrationibus totalibus dependeret sonus, sublato enim plectro hæ liberiùs peraguntur. Ex quibus perspicuum est, non à vibrationibus totalibus sensibilibus, sed à tremoribus

A 2

mini-

4. DISSERTATIO PHILOSOPHICA

minimarum partium, ab exasperatis resinâ plectri crinibus receptis, & omnibus chordæ particulis communicatis, sonum produci. 4. Idem etiam ex eo constat, quod hac tremulâ minimarum partium agitatione, per quamcunque causam impeditâ, suffocatâ, sublatâ, etiam impediatur, suffocetur, tollatur sonus, ut innumera experimenta docent. Sic si chordæ imposita sit vel lana, vel simile molle corpus, minimarum partium tremores impediens, vix sonus auditur, licet tota corda satis sensibiles oscillationes perficiat. Sic in clavicymbalis suffocatur, & sistitur sonus ope festucarum ex panno factarum, subsiliorumque extremitatibus infixarum, quæ festucæ delapsis subsiliis fidibus incumbunt. In clavichordiis illa chordæ pars, quæ inter laminam æneam palmulae extremitati infixam, & prisma ligneum, cui chordæ incumbunt, interjacet, sonum edit, cum memorata lamina fidem percutit, & ad eam apprimitur, tremulo tunc motu recepto: altera autem chordæ pars ad finem habet lanam sibi impositam, vel intertextam, ejus tremores in ipsâ nativitate illic tollentem; sed illa pars etiam nullum sonum edit: porro, dictâ laminâ æneâ chordam deferente, tremulæ particularum agitationes per totam chordam sistuntur, quoniam tunc, sublato termino distinguente, binæ partes communicant; tunc autem sonus illius chordæ in totum tollitur. Tandem, si plæctri, quo variorum instrumentorum chordæ stringuntur, crines resinâ non exasperati, sed oleo, sebo, aliâve pinguedine quamcunque afficti, & emolliti sint, atque ita lubrici facti, tremulum hunc motum chordarum partibus non concilient, verum eas non concutiendo translabantur, haec nullum sonum reddunt. Multa adhuc alia sunt, sed quæ omnia hic memorari non possunt. Plura videantur apud Perrault, Carré, de la Hire.

§. 5. Hinc (§. 4.) facile deducitur, eò intensiorem fore sonum, quò minimæ chordarum particulæ in majori numero, & majori tremulo motu agitantur, & vicissim. Hinc chordæ sunt eò etiam magis vel minus sonoræ, quò earum particulæ magis vel minus sunt aptæ ad tremulum hunc motum recipiendum, conservandum, & majori motu agitari possunt; id est, quò chordæ ex materiâ magis vel minus elasticâ sunt confectæ. Hinc etiam chordæ nunquam ex plumbo, vel stanno, utpote metallis mollioribus, minus sonoris; sed semper ex ferro, chalybe, cupro, orichalco, &c. magis elasticis, sonorisque, conficiuntur. Hinc etiam plurimæ variorum instrumentorum, chordis constantium, respectu intensitatis soni proprie-

prietates, pro variis modis, quibus chordae ad sonos incitantur, variae, facillimè explicari possunt; deprehenduntur enim convenire in eo, quod soni intensitas crescat vel minuatur, prout augeatur vel minuitur minimarum particularum tremula agitatio. Sic observatur in omnibus instrumentis, quorum chordae inflexione, & sequente mox dimissione, ad sonum sollicitantur, adeòque penitus sibi commissae sunt, dum sonum edunt; soni intensitatem augeri vel minui, auctâ vel imminutâ magnitudine sagittae, ad quam inflectitur chorda, sive vibrationum totalium, quod errori (§. 4.) notato magnam ansam dedit. Ratio autem hujus phaenomeni est, quod hoc in casu tremores minimarum partium, qui sonum producunt, (§. 4.) à vibrationibus totalibus pendentes, cum iisdem eodem modo augeantur, & minuantur. Quod tamen soni intensitas à magnitudine tremulae agitationis minimarum partium, tanquam causâ proximâ, non verò immediatè à magnitudine vibrationum totalium pendeat, ex eo liquet, quod, si tremores minimarum partium resuscitari possint, impeditis potius quam auctis vibrationibus totalibus, restituatur sonus. (§. 4. n. 1.) Hinc liquet, cur in his instrumentis, sensim per resistentiam aëris, & attritum ad extrema, decrescentibus oscillationibus, donec tandem evanescant, simul continuè intensitate sonus remittat, donec tandem desinat? cur in clavicymbalis, & spinetis rigiditatem festucarum ex pennis avium factarum, & subsiliorum epiglottidibus infixarum, sequatur intensitas soni chordae, & contra? Cur adeòque, cùm certa requiratur proportio inter resistentiam chordarum, & festucarum flexibilitatem, ad bonum, limpidum, & gratum sonum ex fidibus eliciendum, non omnium avium pennae huic usui sint aequae aptae; sed eae, quae ex corvorum & cornicium alis extrahuntur, à musicis praeferantur? Cur pro lubitu artificis inter modulandum chordarum sonus non possit intendi, & remitti; sed quidem in testudinibus, cytharis, harpis, similibusque, pro scopo tantùm chordas ad maiores vel minores sagittas inflectendo? Patet etiam, cur in clavichordiis, & psalteriis, pro majore vel minore percussu sonus intensior vel debilior ex chordis eliciatur, & hoc in modulantis potestate sit? Cur in clavichordiis, & non tamen in psalteriis, sonus sensim possit intendi, & remitti, sine intermediâ interruptione, tremulo dito sensim magis vel minus palmulam premendo? Cur in omnibus instrumentis, quorum chordae plectro perstringuntur, sonus sit magis vel minus intensus, prout plectrum est magis vel minus resi-

nâ exasperatum, & etiam plus vel minus velociter movetur, fortiterque ad chordas apprimitur? Adeoque, cùm ipsa plectri ad chordas applicatio, appressio, velocitas, moderatio, à voluntate & peritiâ modulantis artificis pendeant, cur soni intensitas itâ pro ejus scopo augeri & minui possit? Ab hac autem soni moderatione maxima pars gratiae hujus instrumenti dependet. Cùm autem soni, quem nos auditum, intensitas pendeat ab iactibus aëris in organa nostra auditoria, & horum effectu ad sensorium commune delato, latius de his agetur, cùm de aëre sonum ad nostras aures deferente sermo erit.

§. 6. In sonis datur differentia respectu gravis & acuti, à quâ dependet illud, quod musici tonum vocant. Totum hoc pendet à numero vibrationum, quas chorda in dato tempore perficit: & sive vibrationes minimarum partium sint semper in eâdem ratione respectu numeri & frequentiae, ac vibrationes totales, & ideo hae pro mensurâ omnium tonorum sumi possint, quae est sententia *D. Cartesii*; sive ipsae vibrationes totales determinent tonos, qualescumque etiam sint numeri vibrationum minimarum partium, utpote à quibus tonus non dependet, ut videtur esse opinio *D. de la Hire*; observatur semper, quod toni variatio sequatur mutationem numeri vibrationum totalium in dato tempore peractarum: itâ ut his numeris positis aequalibus, sive ipsis vibrationibus isochronis, soni sint ejusdem toni, & contra. Suntque semper soni, vel eorum toni, tantò graviores, quò hi numeri sint minores, aut tempus singulæ vibrationis majus; tantò acutiores, quò hi numeri majores, aut tempus singulæ vibrationis minus: & gradus gravitatis sunt directè ut tempora vibrationum singularum, vel inversè ut numeri eandem eodem dato quolibet tempore peractarum; gradus acuminis directè ut hi numeri, vel inversè ut ipsa vibrationum singularum tempora. Haec innumeris experimentis musicis constant, & Musicis notissima sunt. Hinc sequitur, quaecunque de his vibrationibus, earumque numero, & velocitate, inventa, demonstrata, cognita sunt; ea ad determinandos chordarum tonos adhiberi posse. Videamus itaque juxta quas leges hae fiant, & varientur. Supponimus autem hunc in finem vel chordas metallicas, & quidem ex eodem metallo factas, vel etiam ex intestinis animalium confectas, homogeneas, extensiles, elaticas, dum scilicet certâ vi tensae sint; comparando tamen semper binas chordas ejusdem generis.

§. 7. Tales chordae (§. 6.) tensae, fixatis extremitatibus, inflecti possunt, & quidem ad sagittam majorem vel minorem pro majori vel minori vi inflectente; hac autem sublatâ, redeunt ex elasticitate; & locum, ubi quietendum foret, celerrimè praetergressi, longius feruntur, & sic inflectuntur versus partem oppositam; inde iterum redeunt; & sic varios itus & reditus, sive vibrationes peragunt, antequam ad situm naturalem, seu lineam quietis redeant, quod fit tandem, ipsis diadromis prius in infinitum per aëris resistentiam, & attritum ad extrema, diminutis. Haec omnibus sunt nota. Demonstrant autem experimenta multa quam accuratissimè capta, quod, si corda variis viribus inflectentibus seorsim inflectatur, verbi gr: ponderibus appensis, sagittae, quamdiu inflexiones parvae admodum sunt, sint praecise ut vires inflectentes: si vero maiores sint inflexiones, vires inflectentes crescent in majori ratione quam sagittae; undè tunc superadditis viribus inflectentibus aequalibus, sagittae crescunt per partes inaequales, & quidem continuè per minores. Cum nunc chordae inflexae elater, quo renitur ulteriori inflexioni, seu elongationi, & quo redit, si, sublatâ vi inflectente, sibi permittatur, sit aequalis vi inflectenti; adeoque positis inflexionibus minimis, quales hic ubique supponimus, semper ut sagitta: cumque, dum corda inflexa redit ex elasticitate, haec chordam motam premit tanquam quiescentem, quoniam ipsa causa movens cum corpore moto transfertur; sequitur quod chordae motus sit acceleratus, & vis acceleratrix in omni puncto sagittae ut via percurrenda. Hinc liquet, quod motus chordae per sagittam redeuntis convenienter cum motu gravium per cycloïdales lineas descendenter. Et cum motus chordae, velocitate acquisitâ versus partem oppositam inflexae, retardetur eodem modo, quo antea accelerabatur, adeoque pro lege corporis gravis per cycloidem adscendentis; liquet, quod oscillationes chordarum sequantur easdem leges, quas oscillationes pendulorum per cycloides motorum: undè, quae de his demonstrata habentur, & hic supponenda sunt, ad chordae diadromos applicari possunt. Sunt ergo omnes ejusdem chordae vibrationes isochronae, sive maiores sint, sive minores.

§. 8. Ex eo nunc quod tonus maneat idem, positis iisdem temporibus oscillationum, (§. 6.) & omnes ejusdem chordae vibrationes re vera isochronae sint, (§. 7.) manifestum evadit, cur sonus chordae agitatae ab initio usque ad finem sit ejusdem toni, licet vibrations:

tiones continuè magnitudine decrescant? Hinc acumen soni non à velocitate motus dependet, ut credidit Aristoteles, quod rite observavit Mersennus, sed tantum à numero vibrationum; & potest conjungi velox motus cum sono gravi, & tardus cum acuto. Liquet etiam, quid dicendum de his, qui statuunt chordas edere sonos acutiores in initio, graviores circa finem, quia in initio magis, circa finem minus tensae sunt, propter majorem in initio, & minorem circa finem inflexionem; ut voluit Kircherus: Chordarum sonos esse acutiores in principio, cùm earum motus adhuc magnus, recens dimissarum à digito; graviores & remissiores, cùm latitudo vibrationis contrahitur in angustum, chordā in se redeunte, ut dixit Kepplerus: quod una eademque chorda, quanto intenſior est, tanto acutiorē sonum edat, ut habet Cartesius: &c. Hisce statuendis procul dubio ansam dedit mirum Phaenomenon, scilicet, chordam ad satis magnam sagittam inflexam, edere sonum in initio, ipso sensuum iudicio teste, acutiorē, quam paulo post, cùm diadromi sint minores. Verū hoc phaenomenon dependet ex eo, quod, positā sagittā nimis magnā, vires acceleratrices, viribus inflectentibus semper aequales, crescent in majori ratione quam sagittae (§. 7.): cùm enim tunc ipsae accelerationes magis augeantur, quam pro ratione viarum percurrendarum, primae vibratiōnes minori tempore absolvuntur, quam reliquae, adeoque tunc sonus est acutior. (§. 6.) Cùm vero, positis sagittis iterū non nimis magnis, vires acceleratrices fiant ut sagittae, adeoque tempora vibrationum prioribus majora, rursus aequalia inter se, soni acumen priori minus manet constans. Si chordā, non inflectatur in medio, verū alio in loco quoconque, extremo tamen non nimis proximo, tempora vibrationum non mutantur, adeoque nec tonus, ut ipsa experientia demonstrat. Cùm nunc intensitas soni varietur pro magnitudine sagittae (§. 7.) & loco inflectionis, ut unicuique notum est, sequitur quod tonus ab intensitate non dependeat. Hinc potest sonus esse valde intensus, & simul gravissimus; etiam valde intensus, & simul acutus, & contra.

§. 9. Si eadem chorda, vel binae in omnibus similes, tendantur viribus tendentibus diversis, ut ad eandem datam sagittam inflectantur, requiruntur vires inflectentes viribus tendentibus proportionales, ut demonstrant experimenta. Sunt ergo vires elateris, seu acceleratrices, ut pondera tendentia; adeoque tempora vibrationum inversè in subduplicatā ratione virium tendentium, quia in pendulis in cycloidibus vibratis, quorum eadem est ratio, (§. 7.) tem-

tempora vibrationum sunt inversè in subduplicatâ ratione virium gravitatis. Cùm verò omnes vibrationes ejusdem chordae sint aequidiurnae, (§. 7.) non refert, ad quamnam sagittam inflectantur chordae, & tempora vibrationum erunt semper in dictâ ratione; adeòque numeri vibrationum in dato tempore peractarum, qui sunt inversè ut tempora, quibus singulae vibrationes absolvuntur, erunt directè in subduplicatâ ratione virium tendentium; suntque gradus acuminis in eâdem ratione. (§. 6.) Cum his perfectè congruunt experimenta Mersenniana; dixit enim *Mersennus* in suâ Harmoniâ universali, quod chorda 17. pedes longa, & medio ex 12. intestinis arietum confecta, quae habet crassitatem & longitudinem tantam, ut cursus ac recursus oculis facilè sistat, bis currat & recurrat tempore unius minuti secundi, cùm tendatur $\frac{1}{2}$ librâ; quater currat & recurrat, cùm tendatur 2 libris; & octies currat & recurrat, cùm tendatur 8 libris. Sunt ergò numeri vibrationum ut 2, 4, 8; horum quadrata 4, 16, 64. sunt exactè ut vires tendentes $\frac{1}{2}$, 2, 8. Undè magnus ille vir etiam conclusit, quod numerus diadromorum sit in subduplicatâ ratione ponderum chordas tendentium. Liquet hinc simul, quod chordarum ex intestinis animalium confectarum eadem in hoc casu sit ratio; & error eorum, qui voluerunt sonos esse acumine proportionales viribus tendentibus.

§. 10. Ex his (§. 9.) intelligitur, cur in instrumentis musicis ita varientur solâ tensione chodarum toni? Quomodo per tensionem concordari possint? Cur in clavichordiis, si lamina aenea satis fortiter apprimatur ad chordam, eamque satis validè inflectendo, plus tendat; illa pars, quae inter laminam illam, & prisma ligneum, cui chordae incumbunt, interjacet, quae sola tantum sonum edit, (§. 4. n. 4.) tunc sonum edat magis acutum? Cur in chelybus, si plectrum paulò fortius apprimatur ad chordas, soni acumen paululum etiam crescat? cur etiam, prout in chelybus major vel minor chordarum à subiecto manubrio distantia est, chordae modulantis digitis in iisdem locis ad manubrium appressae, acutiores vel graviores sonos edant? Cur in chelybus majoribus hexachordis & heptachordis, tonorum illae divisiones in manubrio notatae, exhibeant longitudines partium chordae majores iis, quae ipsis tonis requisitis sunt proportionatae? scilicet, quia major longitudo compensat sic tensionem, quae oritur ex appressione chordae ad manubrium. Ex majori tensione per submissum ponticulum etiam forte oritur,

B quod

DISSE

quod secundum Marii observata, si chorda crassa admodum chordotomo dividatur bifariam, ejus pars dimidia non tantum ad octavam, sed paulo altius adscendat. Frigus omnia corpora contrahit & abbreviat, calor contra expandit, ut multis observationibus constat accuratissimis. Sic *Piccartus* observavit, quod virga ferrea, quae tempore hyberno, ubi gelabant frigora, erat pedis unius longitudine; ad ignem calefacta evasit pedis unius cum $\frac{1}{4}$ lineae. Deinde D. *de la Hire* observavit, quod virga ferrea, quae tempore consimili hyberno sex erat pedum longitudinis, ubi soli aëtivo exponebatur, evasit 6 pedum cum $\frac{2}{3}$ partibus lineae. *Mersennus* obser-
vavit in templis majoribus, quorum fornices altissimae sunt, funes, quibus lampades sustinentur, hyeme aliquot pedibus quam aestate breviores esse. Hinc frigus idem efficit, ac si plus tenderentur, calor vero, ac si relaxarentur: unde intelligitur, cur frigus acuat, calor vero deprimat chordarum sonos? Cur tempore frigido tam facile sponte crepent chordae? Cur discordentur clavicymbala, quamceterum aer fit calidior vel frigidior? Cur eadem sponte aliquando iterum concordentur, si prior tempestas redeat? Haec Musicis notissima sunt. Non tantum frigus, sed etiam humor contrahit funes cannabinos, & chordas, maximè ex intestinis animalium confectas. Sic notum est exemplum, quod refert *Busbequius*, architecti Constantinopolitani, qui cum obeliscum, qui est in Hippodromo, dejectum suae basi restituendum suscep-
set, funesque trochlearum breviores repertae fuissent, adeò ut la-
pis ille ingens in sublime evectus, digito abesset à dorso astragalo-
rum, quibus imponi debebat, cumque jam à spectante populo irrideretur, magnam aquae frigidæ copiam injectit in funes, qui-
bus obeliscus librabatur, qui sensim madefacti, ita se contraxerunt, ut obeliscum altius sublatum in astragalis statuerit magnâ cum admiratione & plausu vulgi. *Schwenterus* auctor est, cum aliquando exercitiis geometricis in campo vacaret, longitudinem funis, quae erat 16. pedum, cadente pruia horaे unius intervallo ad 15. pedes rediisse. Hinc non mirum, quod in violis & te-
studinibus chordae tempore sicco graviores, humido vero acutiores sonos edant; imo & in locis humidis frequenter crepent, &c.

§. 11. Si chordae binae similes, ejusdem crassitieci, & iisdem viribus tensae, diversae autem longitudinis, viribus ac qualibus inflectantur, sagittae sunt ut chordarum longitudo[n]es, ut docent experimenta. Hinc facilè demonstratur, quod elongationes talium chordarum sint

ut longitudines; quod etiam per alia experimenta directè constat: si enim chordae certâ vi tensae pondus tendens superadditâ quâdam parte augeatur, est semper produc̄tio hujus chordae hinc oriunda ut ejus longitudo. Ex eo autem, quod chordae semper ab eâdem vi elongentur proportionaliter ad longitudinem, sequitur, quod in omni puncto aequaliter suae elongationi resistant, adeòque aequaliter tensae sint; undè liquet, majorem ad extrema tensionem non esse causam, cur plerumque circa extrema, non verò circa medium chordae rumpantur: dependet ergò hoc potius ab aliâ causâ, verbi gr: à rubigine, quam ibi plerumque chordae contrahunt, vel à flexurâ, &c. Ut autem tempora vibrationum determinentur, vires elateris, quæ in hoc casu sunt aequales. dividendi debent per quantitatem materiae in chordis; & quotientes, qui sunt inversè ut longitudines, dant vires accelerantes. Erunt adeòque quadrata temporum vibrationum (quae in pendulis in cycloidibus vibratis sunt inversè ut vires, & directè ut longitudines pendulorum) in ratione compositâ ex his directâ longitudinum, id est ut quadrata longitudinum: (§. 7.) ergò tempora ut longitudines, qualiscunq; etiam fuerint sagittæ. (§. 7.) Hinc numeri vibrationum in dato tempore peractarum, adeòque & gradus acuminis sonorum, sunt ut chordarum longitudines inversè, & gradus gravitatis ut eadem directè. (§. 6.) Cùm tamen pendulorum diversæ longitudinis quadrata temporum vibrationum sint ut longitudines pendulorum, quaeri fortè posset, cur in chordis diversæ longitudinis non quadrata temporum diadromorum, sed ipsa oscillationum tempora sint ut chordarum longitudines? Respondemus autem, rationem hanc esse, quod in chordis augmentum quantitatis materiae movendae, quae semper cum longitudine in eâdem ratione crescit vel minuitur, (sunt enim chordae cylindri,) minuat accelerationem, adeòque augeat tempus vibrationis; quod non sit in pendulis, nam sive major vel minor detur quantitas materiae, eadem est velocitas, ut docent experimenta; & ratio est, quia causa movens, id est gravitas, semper quantitati materiae proportionalis est; non ergò in his potest mutari acceleratio, nisi mutetur ipsa vis gravitatis agens in singulas particulas. Hinc in pendulis imminutio vis gravitatis efficit idem, quod augmentum materiae in chordis; ergò, cùm in chordis quantitas materiae crescat in ratione longitudinum, in pendulis vis gravitatis debet in ratione longitudinum imminui. ut perfecta fiat comparatio. In pendulis autem, quorum vires gra-

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

vitatis sunt inversè ut longitudines, quadrata temporum vibrationum sunt ut vires inversè & longitudines directè, id est in ratione compositâ & bis directâ longitudinum, seu ut longitudinum quadrata; ergo etiam tempora ut longitudines.

§. 12. Cùm acumina sonorum chordarum similiūm, sòlā longitudine differentium, sint inversè ut earum longitudines; (§. 11.) intelligitur, cur in multis instrumentis musicis, clavicymbalis, clavichordiis, psalteriis, harpis, &c. adhibeantur chordae tam variae longitudinis? Cur in chelybus cuiuscunque generis, eadem chordae tam diversorum tonorum sonos edant pro variâ digitorum modulantis dispositione? Cur in clavichordiis quibusdam eadem chordae, laminis aeneis variis palmulis infixis percussae, varios tonos producant? Variae enim digitorum dispositiones, & varia loca à laminis percussa, determinant varias longitudines partium sonantium chordarum. Hinc simul intelligitur pro concordatione clavichordii, quod tono unius palmulae existente bono, simul habetur tonus alterius palmulae, qui eandem chordam incitat: qui, si tunc justus non sit, non per tensionem chordae, sed per flexionem laminae corrigi debet; per tensionem enim chordae semper mutantur omnes toni omnium palmularum huic chordae respondentium simul. Notari autem hic & explicari merentur mira quedam in chelybus observata phænomena circa mutationem toni aliquujus chordae pro mutatâ ejus longitudine. Si modulantis digitus chordae impositus, eam non usque ad subjectum manubrium deprimat, sed leviter tantum tangat, (quod in sequentibus leve obstaculum vocabo,) binae partes, in quas chorda per leve obstaculum dividitur, plectro seorsim agitatae, dant cundem tonum, utcunque longitudine differant: & tonus qui auditur est ejus toni, qui proprius est parti minori, si haec sit pars aliqua chordae; vel maximae communi mensurae binarum partium, si eadem fuerit pars aliquanta. Haec ex observationibus constant. Ut autem haec explicemus, notandum, quod tale leve obstaculum non impedit communicationem vibrationum binarum chordae partium; si enim plectro una pars tantummodo agitur, altera etiam simul concipiет vibrationes, nudo oculo, imposito digito sensibiles, chartulam impositam moventes, excutientes; quod non sit, si chorda fortiter ad manubrium apprimatur: est tamen aliquid obstaculum, efficiens ut singulæ partes seorsim suas vibrationes distinctas perficiant, ut autopsya docet. His positis, pars agitata motum suum

suum vibratorium communicat alteri, quae si major est, peragit singulas suas vibrationes tantò majori tempore, quanto longior est: (§. 11.) ergò à parte agitatā, breviori, celerius suas vibrationes singulas absolvente, omni momento acceleratur, & cogitur absolvere suas vibrationes eodem tempore, quo minor pars absolvit suas; quod impossibile est, nisi imminutā longitudine, donec sit aequalis parti minori, tensio enim non mutatur. Hinc, si pars minor agitata metiatur majorem, longior pars se dividit in partes breviori aequales, & sic ipsi velocitate praevalenti obedit, fiuntque vibrationes omnium partium ob aequalē longitudinem isochronae; verbi gr: si leve obstaculum positum fuerit ad $\frac{1}{3}$, vel $\frac{1}{4}$, vel $\frac{1}{5}$, &c. partem chordae. Si non metiatur minor pars agitata majorem, residuum etiam à communicato motu agitatum habebit ob minimam longitudinem vibrationes omnium celerimas. (§. 11.) Haec autem pars, licet non determinata illico per obstaculum, sed tantum deinde formata per consequentiam formationis aliarum, dat tamen legem omnibus reliquis; & si haec metiatur binas chordae partes, in quas primò per obstaculum leve divisa est, ambae dividentur in partes huic aequales, peragentes omnes suos diadromos illi isochronos, ut si obstaculum positum fuerit ad $\frac{1}{3}$, $\frac{1}{4}$, $\frac{1}{5}$, $\frac{1}{6}$, $\frac{1}{7}$, $\frac{1}{8}$, &c. Si autem haec communis mensura non sit, residuum secundum dividit chordam in partes aequales, seorsim oscillantes; v. gr. si obstaculum leve positum fuerit ad $\frac{1}{3}$, $\frac{1}{5}$, &c. Si denique nec hoc residuum sit communis mensura, ulterius pergitur & quidem donec ad communem mensuram perveniat; quae si non detur, aut nimis remota sit, adeoque & nimis parva, non distinctus aut clarus sonus, sed ingratus & horridus potius quidam stridor ex agitatione hujus chordae auditur, quod undè oriatur, dein clavis explicabimus. Si nunc pars agitata sit major, idem est, illico enim ac altera brevior motum vibratorium communicatum recepit, illa praedominat ob majorem velocitatem vibrationum, & leges dat toti chordae. Dividitur adeoque semper chorda vel in partes aequales parti minori, vel in partes aequales maximae communi mensuræ binarum partium per leve obstaculum determinatarum. Si bina ponantur levia obstacula, dividitur chorda in partes aequales maximæ communi mensuræ trium partium: v. gr. si unum ad $\frac{1}{3}$, alterum ad $\frac{1}{5}$ ponatur, dividetur chorda in partes 6.; & sic de caeteris. Si forte quis effectam à nobis putet sponteancam hanc chordae in partes aequales seorsim vibrantes divisionem, ipsis experimentis talem

divisionem ad oculum demonstrantibus facile convincetur: punctis enim quiescentibus divisionum, quae nodi vocantur, & ventribus vibrationum partialium imponantur chartulae plicatae, paryae, minimum motum illico indicantes, & agitetur in loco conveniente chorda plectro, semper impositae assignatis nodis immotac quiescunt, impositae vero ventribus moventur & cadunt; unde evidentissime haec spontanea divisio, partiales vibrationes, & puncta intermedia immota apparent. Ex his nunc facilè intelliguntur mira haec observata; & liquet simul, chordas vere edere sonos acumine suis longitudinibus inversè proportionales juxta (§. 11.) utcunque contraria haec primâ fronte videbantur. Semper etiam nodum dari patet, ubi leve obstaculum ponitur; ibi enim est primum principium vibrationes dividens, & eas mutans.

§. 13. Si habeantur duae chordae ejusdem generis & longitudinis, sed diversae crassitie, erunt, quoniam chordae sunt cylindri, & tanquam ex fibris constare concipi possunt, si dividantur in fibras ejusdem crassitie, (positis scilicet chordis magnitudinibus, quarum diametri saltem sunt commensurabiles potentia) numeri harum fibrarum ut quadrata diametrorum, vel ut pondera chordarum. Si ergo hae chordae tendantur viribus aequalibus, erunt, quia, dum chordae tenduntur, tenduntur omnes fibrae eas constituentes, vires tendentes singulas fibras inversè ut harum numeri, sive inversè in duplicata ratione diametrorum chordarum. Si nunc vires inflectentes chordas sint etiam aequales, vires inflectentes singulas fibras erunt in eadem ratione ac vires tendentes, ergo sagittae aequales. (§. 9.) Inflexio autem omnium fibrarum simul est inflexio totius chordae; haec ergo ambae ad aequales sagittas inflectentur, si vires eas tendentes, & inflectentes sint aequales, quaecunque fuerit crassitie diversitas. Idem etiam experimentis immediatè constat. Ex his facile determinantur vibrationum tempora; nam vires, quibus singulæ fibrae redeunt & accelerantur, sunt inversè ut quadrata diametrorum chordarum; ergo quadrata temporum vibrationum, quae inversè sunt ut vires accelerantes, sunt ut eadem diametrorum quadrata directe; adeoque tempora ut diametri. Chordae autem totius vibrationes sunt vibrationes omnium fibrarum simul, & hypothesis de sagittarum aequalitate universalitatem propositionis de omnibus vibrationibus non minuit: (§. 7.) chordarum ergo diversae crassitie, positis caeteris iisdem, tempora vibrationum sunt ut diametri. Idem etiam liquet ex eo, quod, cum quantitates materiae in chordis sint ut qua-

quadrata diametrorum, aequales vires inflectentes per haec dividi debeant, ut habeantur accelerationes: unde quadrata temporum vibrationum iterum directe ut quadrata diametrorum, seu tempora ut diametri; & sonorum acumina in hac ratione inversa, sunt enim ut numeri vibrationum eodem tempore peractarum. (§. 6.)

§. 14. Ex his (§. 13.) detegitur error eorum, qui statuunt chordarum ejusdem materiae, & longitudinis, viribusque aequalibus tensarum, crassissimam edituram sonum acutissimum: contrarium docent etiam experimenta. Sic quod corda crassior minus debeat tendi, ut ad certum acuminis gradum adscendat, quam tenuis, testibus experimentis ipsis falsum est. Patet nunc etiam, cur in clavicymbalis, clavichordiis, harpis, &c. praesertim in inferiori octavâ, ubi non ita longitudine differunt, adhibeantur chordae tam diversae crassitati? Cur praesertim in chelybus cuiuscunque generis, ubi omnes chordae sunt ejusdem longitudinis, requirantur tam diversae crassities? Liquet etiam, quod positis chordis crassities solommodo diversas habentibus, tempora vibrationum sint in subduplicata ratione ponderum: si vero cum longitudine chordae augeatur pondus, tempora sunt ut ipsa pondera. (§. 11.) Ratio autem est, quia tunc tempora sunt in ratione compositâ ex subduplicata longitudinum, & subduplicata ponderum, id est ut ipsa pondera, vel longitudines, sunt enim pondera & longitudines in illo casu in eadem ratione. Liquet etiam facilè, quod, si chordae densitate differant, tempora vibrationum sint in ratione subduplicata densitatum, positis caeteris iisdem, ut & has pereasdem vires ad aequales etiam sagittas inflecti. Sed quia vix densitate differre possunt chordae, quam diu sunt ejusdem generis, de his nil amplius addemus. Varia experimenta circa sonos, & pondera fidum ex diversâ materiâ confectarum, & circa earum robur, videri possunt apud *Mersennum* & *Kircherum*.

§. 15. Ex his omnibus huc usque dictis nunc colligimus, chordarum sonos respectu acuminis, 1º. datis longitudinibus & diametris, esse in subduplicata ratione virium tendentium; (§. 9.) 2º. datis viribus tendentibus & diametris, in ratione longitudinum inversâ; (§. 11.) 3º. datis viribus tendentibus & longitudinibus, in ratione inversâ diametrorum. (§. 13.) Est ergo horum acumen dependens ex pluribus causis simul, quarum una illud auget, binae minuant in eadem ratione, quâ ipsae augentur: erit adeoque in ratione

tione compositâ ex directâ augmentis, & inversâ minuentium. Et hinc ulterius erunt soni eodem respectu, 4°. datâ diametro chordarum, ut radices quadratae virium tendentium directè & longitudines inversè; 5°. datâ longitudine, ut eadem radices directè & diametri inversè; 6°. datâ vi tendente, inversè ut longitudines & diametri; 7°. & nihilo dato, ut radices quadratae virium tendentium directè, & tam longitudines quam diametri inversè. Conveniunt cum his rursus experimenta *Mersenni*, qui scripsit, chordam 20 pollices longam, tensam 8 libris, edere sonum ejusdem toni cum chordâ aequa crassâ, 5 pollicum, tensa $\frac{1}{2}$ libra: quod idem ex his sequitur; nam datâ crassitie, si radices quadratae virium tendentium sint ut chordarum longitudines, sive, quod idem est, vires tendentes ut quadrata longitudinum, adeoque dividendi & divisores in eâdem ratione, quoti sunt iidem, ut ex arithmeticis notum est; ergo toni ejusdem acuminis: hic autem quadrata longitudinum 400. & 25. perfectè sunt ut vires tendentes 8 & $\frac{1}{2}$, seu 16 & 1. Ex his etiam manifestum fit, quot & quibus modis efficere possimus, ut chordarum soni sint vel ejusdem toni, vel in datâ tonorum ratione; quos hic enumerare supervacaneum foret, cum facile ex dictis deduci queant.

§. 16. A tonorum, sive numerorum vibrationum, eodem tempore peractarum ratione pendent omnia intervalla musica, adeoque & consonantiae, & dissonantiae. Cum nunc Musici consonantias dixerint simultaneos sonitus diversorum sonorum amoenos, suaves, gratos; dissonantias verò, si mali & ingrati sint: cumque gratia haec pendeat à concursu seu convenientia inter varias vibrationes eodem tempore peractas, sequitur, eò gratiore & perfectiores esse consonantias, quò saepius vibrationes concurrent, seu quò simpliciores sint; quò verò magis ab hac simplicitate recedant, eò esse imperfectiores, auribusque minus gratas. Hinc si nimis multae sint peragendae vibrationes, antequam detur concurrentia; auribus ingratus fit hic sonitus, & vocatur dissonantia, quae eò perfectior, quò concurrentiae sint rariores; undè perfectissima omnium foret, si vibrationes nunquam convenient, etsi infinitum duraret sonus; qualis esset, si binæ chordae ejusdem crassitiei, iisdem viribus tensae, haberent longitudines incommensurabiles, v. gr. una latus altera diagonalem quadrati; de incommensurabilibus verò lineis videantur geometrae. Idem etiam eveniet, si, positis caeteris iisdem, diametri vel vires tendentes, aut saltēm ha-

harum radices quadratae, sint incommensurabiles. Cùm autem infinitae possint esse concordantiae seu intervalla pro infinità rationum varietate, quae possunt esse inter numeros vibrationum, præcipua & magis apud Musicos usitata hac sequenti tabellâ tanum propono. Si numeri vibrationum eodem tempore à duabus chordis per-

	1	1	I	Isotonos seu Unisonus.		
	2	1	II	Diapason sive Octava.		
	3	2	III	Diapente seu Quinta.		
	4	3	IV	Diateffaron seu Quarta.		
	5	4	V	Ditonus seu Tertia major.		
	6	5	VI	Semiditonus seu Tertia minor.		
	5	3	VII	Hexachordon majus sive Sexta major.		
	8	5	VIII	Hexachordon minus sive Sexta minor.		
	9	5	IX	Septima minor.		
Etarum	sunt ut	15	ad	8	fit	Septima major.
		45		32		Tritonus seu Quarta falsa.
		64		45		Semidiapente seu Quinta falsa.
		9		8		Tonus sive secunda major.
		10		9		Tonus minor.
		16		15		Semitonium majus seu secunda minor.
		25		24		Semitonium minus.

& sic porro; omnia enim alia intervalla, ut comma, schisma, dia-schisma, &c. enumerare hoc non spectat; nec etiam examinare, quomodo dicta intervalla à Musicis dividantur, usurpentur. Nil etiam de horum genesibus, compositionibus, additionibus, aggregatis, subtractionibus, excessibus, multiplicationibus, divisionibus, factis, quotis, combinationibus, &c. addam; cùm haec non sint hujus loci, sed ad Musicam pertineant.

§. 17. Ex dictis (§. 16.) liquet, quaenam intervalla consonantiora sunt, quaenam magis dissona. Potest etiam ex hoc fundamento determinari, quaenam differentia sit inter quintam & duodecimam, & quaenam sit dulcior; & sic de caeteris intervallis octavâ majoribus, nonâ, decimâ, undecimâ, &c. quas Musici vulgo pro iisdem cum simplicibus secundâ, tertiatâ, quartâ, &c. usurpant. Patet etiam, eadem intervalla majorem habere gratiam, si, posito quod stridor non offendat aures, soni sint acutiores; minorem vero, si iudicem sint depressores. Compleetur enim tunc præcisè consonantia, quandò utraque corda tot peregit vibrationes, quot sunt monades in utroque numero rationem consonantiae in minimis terminis

explicante; adeoque tempora, quibus completur consonantia quaelibet, sunt ut sonorum gravitates, & numeri completionum in dato tempore in hac ratione inversâ; sed completiones consonantiarum dant concursus, & ab his pendet gratia consonantiae, videtur ergo haec esse inversè ut gravitas, seu directè ut acumen sonorum dictam consonantiam efficientium. Unde intelligitur, cur in instrumentis multarum octavarum extensum habentibus, & ad magnam soni gravitatem descendantibus, v. gr. clavicymbalis, & organis, eadem consonantiae v. gr. tertiae in superioribus octavis bene, in inferioribus non tam gratae sonent? Cur dissonantiae ingratiores in inferioribus vocibus, quam in superioribus? Cur concentus vocum superiorum plerumque magis placeant, quam inferiorum? Cur faciliter audiamus, num soni acutiores, quam num graviores sint consonantes? Non possumus enim perfectè judicare de consonantiâ nisi per completionem; unde èò faciliter, quò plures completiones seu concursus in dato tempore fiant. Hinc, si utraque chorda nondùm tot vibrationes perfecit, quot unitates continent numeri radicales rationem consonantiae exhibentes, ritè nullum de consonantiâ fieri potest judicium. Hinc etiam, si chorda tantum unam vibrationem faceret, audiretur quidam iactus, respectu toni tamen non distinguendus. Hinc faciliter audimus octavas quam quintas, & quintas faciliter quam tertias; & sic in genere faciliter perfectiores consonantias quam imperfectiores. Ex his verae regulæ ad gratas auribus symphonias componendas deduci possunt; sed de his consulendi sunt Musici. Quomodo omnia cognita intervalla obtineri possint, ex dictis §. 9, 11, 13, 15, manifestum est. Sic ex §. 11. intelligitur tota monochordi divisio, & quomodo per suppositum magadem chordotomum obtineri possit, ut vel binae chordæ partes, vel una cum totâ chordâ, exhibeant quaecunque data intervalla; & sic porrò in chelybus, testudinibus, clavicymbalibus, &c. Intelligitur adeoque etiam ex §. 9., quot pondera sint applicanda chordis, ut à suo tono ad datum intervallum assurgant; posito, quod pondus, quo chorda tensa erat antea, cognitum sit: hoc est quanto ponderi respondeant, verticilla, quibus chordæ tenduntur; adeoque quantum pondus manus verticilla torquens quaelibet vice suppleat; & innumera alia, quae hic recenseri non possunt. Haec omnia tamen in praxi musicâ non itâ geometricè fiunt, sed solummodo ad auris doctae judicium. Si nunc ad chordas, cuius tonus cognitus est, datum puerum ponatur leve obstaculum, faci-

facilè etiam determinari potest, quisnam orietur tonus, si plectro in loco conveniente agitetur: inveniatur enim communis mensura maxima duarum partium per leve obstaculum determinatarum, haec dat longitudinem sono auditu correspondentem. (§. 12.) Cognoscitur adeoque etiam intervallum, quod est inter hunc sonum, & sonum totius chordae, vel partis cuiuslibet cognitae. Ex his varia elegantissima deduci, intelligi, explicari possunt, quae hic brevitätis causā apponi non possunt: pauca memoro. Idem est tonus, sive in medio chordae majus vel minus fiat obstaculum; quae proprietas soli puncto medio competit. Si chorda in 5, vel 7, vel 11 partes aequales dividatur, idem erit sonus, ad quam divisionem ponatur leve obstaculum: si vero in 6, 8, 12, &c. dividatur, varius pro variā divisione, ad quam idem ponitur; quaedam tamen dant eundem tonum. Ad quocunque punctum chordae fiat leve obstaculum, intervallum cum sono totius chordae semper octavā majus est, solo puncto medio excepto, ubi praeccē est octava. Si leve obstaculum moveatur successivē ab uno chordae extremo ad aliud, & interea plectro chorda prope ponticulum agitetur, producitur irregularis admodū tonorum consequentia, nunc eodem, nunc alios, varios saltus, sine proportione cognitā, contra omnes cognitas regulas exhibens, ex hac doctrinā tamen facillimē intelligenda. Quaedam intervalla in chordā dupli modo possunt determinari, vel modo vulgari ponendo ad locum requisitum obstaculum perfectum, ut in praxi musica vulgo fit; vel ponendo leve obstaculum in tali chordae puncto, ut maxima communis mensura binarum partium requisitam exhibeat longitudinem: oportet autem, ut intervalla sint majora quam octava. Hinc Musicus hujus doctrinæ peritus stupefacit alios, efficiendo eadem in chelybus intervalla longē aliā digitorum positurā. Instrumentum illud monochordon, *la trompette Marine* Gallis dictum, ubi digitus vicem gerit levis obstaculi, tales saltus tonorum & anomalitatem etiam habet, alias inexplicabiles, hinc explicatu faciles.

§. 18. Si chorda chelyos plectro stringatur, sonus, qui auditur, videtur simplex, unicus; sed illi, qui acutas habent & exercitatas aures, affirmant se varios distinctos sonos diversorum tonorum, sed omnes harmonicos audire; ita ut sonus revera sit compositus ex variis harmonicis sonis simul unitis, sc: octavā, duodecimā, decimā quintā, decimā septimā, caeterisque, donec prae nimio acumine auditum fugiant; nulli autem audiuntur, qui non sunt in serie sonorum

rum harmonicorum. Confirmatur illud ex hisce experimentis: si levia fiant obstacula ad $\frac{1}{2}$, $\frac{1}{3}$, $\frac{1}{4}$, $\frac{1}{5}$ partem ipsius chordae, oriuntur mox memoratae consonantiae, ut ex ante dictis (§. 12, 17, 18) manifestum est: lente tunc stringatur corda, & interea remotis obstaculis, attentus auditor distinet audierat perseverantes illos sonos, & simul accedentem sonum totius chordae, cum prioribus unitum. Si vero ad $\frac{1}{7}$, $\frac{1}{9}$, &c. talia levia fiant obstacula, & caeterum idem fiat experimentum, dissonantiae, quae tunc oriuntur, evanescunt perfecte & non uniuntur cum sono totius chordae. Unde liquet, quod corda eodem tempore vere edat varios sonos simul, sed tantum harmonicos. Hinc satis verosimilis videtur illorum sententia, qui credunt, quod, dum tota corda suas totales vibrationes perficiat, partes ejus habeant praeterea alias vibrationes, sibi proprias, minus sensibiles; & sic quaevis $\frac{1}{2}$, $\frac{1}{3}$, $\frac{1}{4}$, $\frac{1}{5}$, &c. habeat suas particulares vibrationes; quae partiales minores vibrationes producunt sonos illos acutos harmonicos, chorda se non dividente, nisi in partes tales, quarum soni sunt harmonici respectu soni fundamentalis. Confirmatur maximè haec opinio ex eo, quod, si ad $\frac{1}{2}$, $\frac{1}{3}$, $\frac{1}{4}$, &c. fiant levissima obstacula, verbi gr: circumPLICANDO filum crassius, quod resecitis extremitatibus quasi nodulum efficit, soni predicti acuti harmonici multò distinctius audiantur. Cum hac opinione ulterius etiam mirè conspirant alia non minus mira phænomena. Observatur, quod, si chordae, cui impositum est leve obstaculum, iis in locis applicetur plectrum, ubi sunt nodi, oriatur inconditus nondmodum, falsus, horridus, auribus ingratus strepitus. Ratio est, quia quiete necessariā nodorum impeditā per applicatum ope plectri motum, & sic totā spontaneā divisione turbatā, confunduntur omnia, turbantur vibrationes partiales, adeoque earum toni, & nil distincti auribus exhibetur. Si autem chordae liberae applicetur plectrum iisdem in locis, ubi divisionis spontaneae verosimilis essent nodi, idem contingit; sed falsitas est tantò minus observabilis, quo tonus, qui à dicta divisione pendebat, esset acutior. Ex quibus omnibus haec opinio non parvum acquirit robur. Inquavis etiam parte seorsim vibrante chordae leve obstaculum sibi impositum habentis idem contingit, ut experimentis constat.

§. 19. Ex his (§. 18.) innumera satis abstrusa facile intelliguntur. Cur ex simplici agitatā chordā integra harmonia percipitur? Cur, si plectrum applicetur puncto medio chordae, fiat horridus strepitus? Cur idem contingat ad $\frac{1}{3}$, $\frac{1}{4}$, $\frac{1}{5}$, & in omnibus trisectionis, quadri-

dissectionis, &c. punctis? Cur, si chordae impositum sit leve obstaculum, tot inveniantur puncta, quae, si plectro agitantur, dant falsum & ingratum admodum sonum? Cur discipuli, qui nondum didicerunt chordas ad manubrium usque deprimere, toties tam ingratum sonum ex chordis eliciunt? Quisnam locus vel quaenam loca agitari debent, ut bonus, limpidus, & gratus habeatur sonus? Quisnam adeoque sit locus conveniens §. 12. & 17? Cur chelyum chordae semper plectro non procul à magade stringuntur? Cur in clavicymbalis, in quibus chordae post inflexionem illicò sibi commituntur, tales differentiae non animadvertantur? Ex his foris etiam reddi potest ratio, cur chorda quandam sui partem valde rubigine infectam habens, aut ubique non ejusdem crassitie, vel etiam ubique non rotunda, aut cylindrica perfecte, vel etiam intorta, falsa inveniatur, ut experimenta docent saepissime? deradatur enim chorda in uno loco cultro, falsa evadet, licet optima fuerit, & sic de caeteris. Cur etiam chordae ex animalium intestinis confectae nodosae, inaequalis crassitie, minus cylindricae, filamentis exstantibus asperae, plerumque falsae sint, & à Musicis peritis rejificantur? Ex his enim causis spontanea chordae divisio forte turbatur, aut soni illi acutiores respectu soni fundamentalis minus harmonici fiunt. Sic falsa potest reddi chorda, si levissima obstracula fiant ad talia loca, ut ex hac divisione orientur dissonantiae cum sono fundamentali: quidnisi etiam, si ibi nodosae sint chordae? & sic de caeteris. Multa hic adhuc inquirenda restant. Aliud etiam mirum admodum phaenomenon circa chordas harmonicas notarunt Musici, quod sc: unā agitatā, moveatur & sponte altera, verū illud postea aptiori loco proponam, ubi praecipios ejus causas enumerabo, & simul causas physicas adducam, quae hic nondum dari possunt.

§. 20. Instituit jām suo tempore Mersennus varia experimenta, quibus inquisivit in numerum vibrationum, quas quaevis corda absolveret dato tempore, ut sic stabilem, exemplaremque sonum haberet. Dixit etiam inter alia, se invenisse, quod corda 17 pedes longa, & pondere 8 librarum tensa, octies currat & recurrat spatio unius minutus secundi. Si verò hic numerus vibrationum aliquius chordae certò inveniri possit, semper fixus quidam terminus haberi potest, ad quem reliqui soni referri possunt, horumque numeri vibrationum in dato tempore peractarum ex cognito cum termino fixo intervallo cognosci. (§. 16.) Verū cùm huic, ut & reliquis

Mersenni experimentis, non nimirum confidi possit, quia vibratio-
nes alicujus chordae tremulae difficulter distingui sensu, multò mi-
nus intra breve tempus unius minutū secundi satis accuratè numera-
ri possunt; & *Kircherus* se illud experimentum fallax comperisse af-
serit; quaerendum fuit, num alio modo magis tuto & certo ad
hanc cognitionem perveniri potuerit. Credidit *Sauveur*, se ope fi-
stularum organicarum sonum fixum quam optimè determinare po-
tuisse, quod in sequentibus proponemus, ubi de sonis fistularum erit
sermo. Idem ille etiam, conferendo vibrationes chordarum cum
funependuli vibrationibus, invenire conatus est pendulum simplex,
eodem tempore suas oscillationes perficiens, quo chorda data peragit
suas. Dùm enim cognitum est, quod pendulum Parisiense; pe-
ndulum 8; linearum mensurae Parisinae, absolvat unam vibrationem
tempore unius minutū secundi; ut &, quod in pendulis diversae lon-
gitudinis tempora vibrationum sint ut radices quadratae longitudi-
num pendulorum; tempora vibrationum cuiusvis penduli, cuius
longitudo datur, facile determinantur: adeòque & tempora vibra-
tionum chordarum, quarum vibrationes sunt cum vibrationibus co-
gnitorum pendulorum isochronae. Hunc ergò in finem quae-
vit *Sauveur* quandam lineam geometricè determinatam, ad quam
sonorum acumina certam habent relationem. Considerando
autem, quod quaevis chorda horizontaliter extensa, & certo
pondere tensa, non rectam praecepsè, sed curvam aliquam con-
stituat lineam, cuius convexitas ad terram conversa est, quoniam
semper pondus ipsius chordae non est nullum respectu ponderis
tendentis, sed aliquam ad illud rationem habeat; cùm, ut
chorda esset perfectè in lineam rectam extensa, requiratur pon-
dus infinitè magnum respectu ponderis ipsius chordae; hujus
curvaturaē maximam à rectâ horizontali profunditatem chordae
sagittam appellavit, quae adeòque est recta ducta à puncto medio
hujus arcuatae chordae perpendiculariter ad rectam horizontalem
subtendentem. Haec sagitta est semper in ratione compositâ ex
inversâ ponderum chordas tendentium, & directâ quadratorum dia-
metrorum, & longitudinum chordarum: sunt ergò sonorum acumi-
na, quae sunt ut radices quadratae virium tendentium directè, &
tam longitudines quam diametri chordarum inversè, (§. 15.) in ra-
tione subduplicate inversâ harum sagittarum; ergò ad illas certam
habent rationem. Ulterius nunc considerando hanc curvam tan-
quam arcum circuli, quoniam curvatura tam parva à curvaturâ

cir-

circulari non differt sensibiliter, qui arcus suas vibrationes perficit loco subtendentis; considerandoque hunc tanquam pendulum compositum ex infinitis numero parvis pendulis simul vibrantibus; determinavit centrum oscillationis, sive pendulum simplex suas oscillationes eodem tempore perficiens, quo hoc pendulum compositum sive arcus oscillans suas: & hujus longitudinem invenit aequalem \pm sagittae. Ex his nunc putat, quod hoc inventum pendulum simplex, cuius longitudine est \pm sagittae chordae sonorae, sit huic chordae isochronum. Sed quis non videt, quod hic supponatur, chordam in circuli arcum pondere suo inflexam eodem tempore suas vibrationes ex elasticitate conficeret, quo arcus hic circa basin suam gravitate seu proprio pondere oscillans suas vibrationes perficeret: quod absque demonstratione supponere non oportet; non enim confundi debet motus, qui ex elasticitate oritur, cum motu, qui provenit a gravitate, nisi prius identitas horum motuum probata sit. Hanc ob causam aliam tale pendulum inveniendi methodum substituit *Phoronomiae* auctor *Hermannus*, assumens chordam ejusdem materiae & crassitie cum chorda sonora, cui isochronum inveniendum est pendulum; tantaeque longitudinis, ut pondus ejus sit aequale ponderi chordam dictam sonoram tendenti: quae longitudine faciliter cognoscitur; cum enim chordarum ejusdem materiae & crassitie pondera sint ut earum longitudines, erit ut pondus chordae sonorae ad pondus eam tendens, ita longitudine ejus ad longitudinem quaesitam, vel chordae assumptae; haec ergo invenitur assignando quartam proportionalem. Dicit nunc *Hermannus*, inveniri, quod numeri exhibentis longitudinem chordae sonorae in se ducti factum divisum per numerum exponentem longitudinem chordae assumptae, det longitudinem penduli simplicis, eodem tempore vibrationes suas conficientis, quo chorda sonora; invenit enim penduli longitudinem $l: L$. & notat ipsi l longitudinem chordae sonorae, & L longitudinem assumptae. Cognitâ autem penduli chordae datae isochroni longitudine, cognoscitur etiam numerus vibrationum, quas pendulum & chorda conficiunt in dato tempore. Hoc posito, constitui possit tonus quidam pro termino fixo, & cognosci numeri vibrationum omnium sonorum, quorum ad terminum fixum cognita est ratio: sic detergi possent limites, quibus soni chordarum nobis sensibiles includuntur. Facili negotio etiam semper ubique inveniri possit chorda datum numerum vibrationum in dato tempore absolvens, & sic da-

datum tonum edens: & hinc in quibuslibet romotissimis locis constanter idem sonus quolibet tempore excitari posset, sive instrumenta longe à se diffita ad unisonum mitti, & differentia sonorum quorumcunque in quibuslibet locis detegi, &c.

§. 21. Hisce de chordarum sonis absolutis, pergo ad alia maximè etiam sonora corpora, ad sonos edendos ex lignis, metallis, vel aliâ quâcunque elasticâ sonorâ materiâ constructâ; ex quibus percussu elicetur sonus, *κρότος* Græcis, *pulsatilia* Latinis dicta. Dùm haec corpora percutiuntur, laminae elasticæ, ex quibus constare concipi possunt, quae singulæ iterum pro congerie chordarum haberi possunt, inflectuntur, deinde ex elasticitate redeunt: & sic vibrationes aliquamdiù peragunt. Hae omnes etiam isochronæ sunt; nam in corporibus elasticis percussis introcessiones sunt in subduplicatâ ratione virium comprimentium, ut ratione & experimentis constat: undè, si vires elateris viribus comprimentibus aequales, per materiam movendam, id est numerum laminarum introcessioni proportionalem, dividantur; accelerationes erunt ut introcessiones, seu viæ percurrendæ; adeoque vibrationes omnes, siue majores, siue minores, isochronæ. Sic etiam, si simplex lamina elasticæ, qualiscunque etiam sit, inflectatur; positis etiam inflexionibus non nimis magnis, inflexiones, seu descensus puncti pressi, sunt semper ut vires inflectentes, ut demonstrant experimenta: undè constat, omnes ejus vibrationes etiam esse acquisitiurnas. Vibratorius hic corporum elasticorum percussorum motus in campanis majoribus & multis aliis corporibus admodum sensibilis est, & in campanâ vitrâ sonum edente quodam experimento visibilis fieri potest: videatur *Clar. s^r Gravesande cap. de Sono.* Cùmque hic tremor applicatâ manu in omnibus pulsatae campanæ locis sentiri possit, sequitur hunc motum omnibus campanæ partibus communicari.

§. 22. Non tamen tremulus hic motus, visibilis, sensibilis, (§. 21.) est causa immediata soni; sed sonus pendet à motu tremulo alio invisibili minimarum partium, ut de sono chordarum etiam vidimus (§. 4.) Patet hoc ex eo, quod sonus satis clarus audiri possit, licet talis motus visibilis minimè adsit; & etiam vibrationes admodum visibles fieri sine sono. Sic apice aciculae perficitur campana, auditur sonus, non tamen visibles sunt vibrationes. Si lamina ferrea, elasticæ, in medio inflexa, funiculo arcui inflexionis alligato suspendatur, & frusto ferri percutiatur versus extrema, sonus oritur satis clarus; si vero clave

vel cultri dorso arcui supposito sustineatur lamina, sonus ferè totus extinxetus est, licet vibrationes visibiles sint eadem ac antea; si denique bina extrema digitis ad se invicem adducta subito dimittantur, vibrationes maximae fiunt, & vix tamen ullus sonus. Etiam sublato, suffocato, impedito, languescente hoc minimarum partium motu, tollitur, suffocatur, impeditur, languescit sonus. Hinc si campanae sonanti applicetur manus, illicè sonus imminuitur, suffocatur, tollitur. Si funis campanae circumPLICetur, vel manus applicetur, vel multa nix, lana, gossypium, plumae, aut similia corpora mollia ei imponantur; & tunc pulsetur campana: sonus impeditur, & in ipsâ nativitate quasi iterum suffocatur. Consuli possunt de his ulterius Perrault, Carré, de la Hire. Hinc intelligitur, cur corpora maximè elastica etiam plerūmque maximè sint sonora? Cur alia corpora magis, alia minus sint sonora? Sic lutum, cera, sebum, plumbum, quae molliora sunt & non elastica, etiam non sunt sonora, quia tales tremores sonoros recipere non valent. Hinc etiam liquet, cur in conficiundis campanis adhibeantur misturae ex variis metallis ad augendam sonoritatem, & soni limpitudinem? Cur, si nimium stanni vel plumbi in misturâ adhibitum fuerit, obtusior sit sonus? Idem etiam fieret, si aurum purissimum adiberetur; illud enim molle est, minimè elasticum, & ferè nullum sonum edens.

§. 23. Ut autem corporum pulsatilium sonos paulò accuratiùs examinemus, & varios acuminis & gravitatis gradus pro varia corporum magnitudine determinemus, videndum, quid experimpta doceant. Hunc in finem considerabimus primò cylindros solidos, qui ad chordas quam proximè accedere videntur, sunt enim chordae tantùm cylindri tenues & longi. Sumit D. Carré quatuor cylindros ligneos A, B, C, D, ex eodem frusto ligni maximè sonori confectos, omnes ejusdem diametri, sed quorum longitudes erant ut 4, 3, 2, 1: hi percussi dederunt tonos ad se invicem habentes sequentes rationes: A dabat sonum gravissimum omnium: B cum A constituebat tonum minorem: C cum B tertiam minorem; adeoque cum A quartam: D cum C quartam; adeoque cum B sextam minorem; cum A intervallum 16 ad 9, quod septimâ minore commate minus est, est enim comma in proportione 81 ad 80. Hinc autem deduci possunt sequentes conclusiones: 1º. quod cylindri solâ longitudine differentes non edant sonos acumine inversè respondentes longitudinibus, ut chordae; (§. 11.) 2º. adeoque nec etiam gravitate directè, acumine inversè proportionales soliditatibus: 3º. quod, licet A cum C, & C

cum D, eandem habentes rationem, reddant etiam idem intervalum; non tamen appareat, hos cylindros ullam certam servare regulam in formandis concordantiis. Cum his experimentis, & conclusionibus inde deductis, perfectè conveniunt aliorum observata: sc. 1o. *Mersenni*, qui etiam jàm observavit, quod cylindri ejusdem crassitie, diversae verò longitudinis, non edant sonos longitudinibus, vel soliditatibus gravitate directe, acumine inversè proportionales. 2o. *Marii*, qui teste *D. de Sauveur* observavit, quod cylindri ejusdem diametri, quorum minor erat dimidia, immo quarta pars majoris, nondùm darent octavam, sed minus intervalum; cùm chorda tamen admodùm crassa chordotomo supposito bifariam divisa, non tantùm ad octavam, sed paulò altius ascensat; vide autem de hac differentia §. 1o.

§. 24. Sumsit idem ille vir tres alios cylindros, ex eodem ligni frustro exactissimè fabricatos, E, F, G, omnes ejusdem longitudinis cum praecedenti C, sed ita, ut, si cylindrus C his addatur, quatuor cylindri E, C, F, G, habeant suas bases, adeoque & soliditates ut 8, 4, 2, 1. Hoc autem facilè fieri potest, sumendo enim radium cylindri E aequalē subtensae quadrantis illius circuli, qui basis est cylindri C, habebitur cylindrus E duplus cylindri C: & sumendo dimidiā partem ejusdem subtensae pro radio cylindri F, erit hic cylindrus F dimidius cylindri C; & sic porrò, ut facilè liquet. Hi cylindri percussi dederunt sequentes sonos: C sonum gravissimum: E cum C semitonium minus: F cum E quartam; & cum C quartam cum semitonio minori, quod intervallum est minus tritono; nam 25. ad 18. minorem habet rationem quam 45. ad 32: G cum F tonum majorem; adeoque cum E quintam, cum C quintam cum semitonio minori, quod intervallum paulò minus est quam sexta minor, utpotè quae constat ex quintā & semitonio majori, quod semitonium minus superat diesī enharmonicā 128 ad 125. Hinc autem rursus haec sequuntur conclusiones: 1o. quod cylindri solā crassitie differentes non edant sonos acumine inversè proportionales suis diametris, ut chordae; (§. 13.) 2o. nec proportionales soliditatibus gravitate; 3o. non semper cylindros majores graviores edere sonos minoribus. Sic mihi etiam relatum memini à tali homine, qui ξυλογόνος conficiundis occupatus fuerat; quod aliquando cylindri & parallelepipedā imminutā crassitie ederent sonos graviores: unde verò haec fiant, difficillimum explicatu foret. Si autem hi cylindri comparentur cum praecedentibus, (§. 23.) ulterius manifestum est

est, 1º cylindros habentes eandem soliditatem non edere eisdem sonos: 2º datâ eâdem soliditatum ratione, non fieri eadem semper intervalla: 3º intervalla sonorum in his minimè sequi ullam certam soliditatum rationem.

§. 25. Sumvit tandem idem *D. Carré* quinque alios cylindros, etiam ex ligno maximè sonoro fabricatos, H, I, K, L, M, quorum diametri erant ut 12, 9, 8, 6, 9, longitudines vero ut 12, 9, 8, 6, 18; qui percussi dederunt haec intervalla: H & I quartam; I & K tonum majorem; adeoque H & K quintam: K & L quartam; adeoque I & L quintam, H & L octavam: M erat eisdem toni cum H; dabat adeoque cum I quartam, cum K quintam, cum L octavam. Hinc sequuntur hae conclusiones: 1º cylindrorum similium sonos esse inversè in subtriplicata soliditatum, vel subduplicata superficierum, vel simplici diametrorum aut longitudinum ratione. Quod autem in antecedentibus A & G dederint octavam cum semitonio minore, licet tam longitudines quam diametri essent ut 2 ad 1, adeoque praecepsè fieri debuisset octava; ex quâdam in ligno existente diversitate verosimiliter ortum duxit. Difficillimum etiam est longorum admodum cylindrorum tonos exactissimè determinare; erat autem A quatuor pedum. 2º Cylindros dissimiles nullam soliditatum certam servare rationem in productione sonorum. M & I dederunt quartam, & longitudines habent ut 2 ad 1; quod cum inventis (§. 23.) convenit.

§. 26. Si cylindrorum loco sumantur parallelepípeda, eadem servatur proportio. Sic *D. Carré* etiam fieri curavit quatuor parallelepípeda N, O, P, Q ex eodem ligno, ex quo confecti erant cylindri. Erant autem bases quadrata, quae erant ut 4, 2, 1, 1; longitudines autem ut 2, 2, 2, 1. Haec percussa sequentes edebant sonos: N & O semitonium minus: O & P quintam demto semitonio minore; adeoque N & P quintam: P & Q quartam: adeoque O & Q octavam demto semitonio minore, N & Q octavam praecepsè. Hinc sequitur 1º quod parallelepipedorum soni non sint gravitate soliditatibus proportionales: 2º quod eâdem data soliditatum ratione non fiant eadem intervalla, si sint dissimilia solida: 3º quod parallelepípeda similia edant sonos, qui sunt inversè in subtriplicata ratione soliditatum; vel subduplicata superficierum; vel simplici altitudinum, vel laterum, aut diagonali basium: 4º quod positis longitudinibus solummodo diversis,

& in ratione 2 ad 1, oriatur quarta; quae omnia cum inventis de cylindris (§. 23, 24, 25.) convenient: scilicet quod cylindrus ejusdem longitudinis sed majoris soliditatis quam parallelepipedon, nihilominus tamen possit edere sonum acutiorum, si tantum soliditas parallelepipedi non supereretur, nisi ad certum terminum: erant enim soni cylindrorum H & L tono majori acutiores quam parallelepipedorum N & Q; & soliditates fuerunt quam proximè ut 67 ad 48, & longitudines eadem.

§. 27. Ex his omnibus (§. 23-26.) nunc ulterius haec patent. Error eorum, qui voluerunt, in cylindris & parallelepipedis solidatum rationem exhibere rationem inversam tonorum. Quomodo omnia intervalla data tamen in cylindris & parallelepipedis similibus obtineri possint? Cur eadem lamina metallica varios det tonos, prout varias figuras assumit? Falsum esse quod de Pythagorā narratur, sc. eum ex malleorum fono ita pondus collegisse, ut sonos ponderibus inversè proportionales judicarit. &c. Mirum quid primò observavit de la Hire circa sonos cylindrorum & parallelepipedorum, sc. quod, si percutiantur successivè per totam suam longitudinem; inveniantur semper versus extrema duo loca, ubi sonus admodum obscurus, obtusus, & debilis est respectu illius, qui in omnibus aliis locis, imò ad ipsa extrema auditur: haec autem loca ab ipsis extremis circiter $\frac{1}{3}$ longitudinis solidi distant. Idem autem est, quaenam sit solidi longitudo, vel crassities; ad quodnam extremum percutiatur; ex quoniam ligno, vel materia constitutum; sive per extrema, sive per medium suspensum, vel digitis retentum: in metallicis tamen sunt propria ipsis extremis. Hinc liquet in pulsandis hisce corporibus maximè habendam esse rationem loci percusionis. Unde hoc dependeat, difficilè dicitur est. Infinita sanè hic inquirenda restant.

§. 28. Campanae, pulcherrimae omnium pulsatilium, servant easdem, quas cylindri & parallelepipedata, in formandis sonorum intervallis proportiones, ut ex accuratissimis peritissimorum fusorum scalis campanariis constat: suntque testibus ipsis experimentis similius campanarum soni inversè ut diametri, vel altitudines; & pondera vel soliditates sunt in sonorum ratione triplicata. Hinc cognitâ partium campanae requisitâ proportione, facile est dimensiones, pondera, & omnia determinare pro campanis datum intervallum constituentibus, adeoque pro integro systemate; ipsis fusorum scalas confidere, imperfectas corrigere, fusorum errores de-

detergere, &c. Sonus autem uniuscujusque campanae non est simplex; sed aggregatum multorum divisorum sonorum partialium à singulis campanae partibus productorum, & simul unitorum, qui soni varios habent tonos pro varia campanae latitudine in loco ubi percutitur; sonus enim est acutior, si percutiatur campana superius, ubi diameter ejus est minor, quam inferius ad limbum, ubi diameter multò major est. Hi omnes uniti formant unum sonum totalem, harmonicum, praedominante tono inferiori, gravissimo, & simul reliquis intensiori, quia lingua campanae semper pulsat partem inferiorem. Nec mirum videri debet, tot varios sonos unitos unum quasi simplicem exhibere auribus, praesertim minus excitatris: imo nec harmoniam turbari, licet dissonantes sint quidam; illi enim ita suffocantur & obruuntur, ut non audiantur: in organis haec manifesta sunt. Hinc non mirum, quod doctae Musicorum aures aliquando praeter principalem tonum distinguant adhuc alios, harmonicos, varios aliquando pro variâ campanâ. Hinc figura campanae ad ejus bonitatem & harmonicam constitutionem summoperè consert. Hinc intelligi potest, quomodo sonus campanae potuit quintâ altior apparere uno in loco, quam in alio, ut observavit Perrault; quod haud dubie à dispositione locorum facilius hunc quam alium tonum cum suis consonantiis reflectentium ortum est. Si campana aquâ repleatur, vel itâ aquae immergatur, ut vacua maneat; sonum edit secundum Mersenni observata tertiatâ majori graviorem, quam cum vacua esset, & extra aquam; demersa sub aquâ, itâ ut simul aquâ plena sit, descendit ad tritonum, itâ ut differentia sit tonus major: varia autem hic indaganda restant. Errant hinc illi, qui dicunt sonum pulsatae campanae demersae sub aquâ esse quidem debiliorum, sed tamen acutiorum. Mox plura circa hanc rem videdimus de scyphis vitreis.

§. 29. Tympana similia servant easdem, quas jam memorata pulsatilia, proportiones in constituendis sonorum intervallis; sunt enim diametri vel altitudines inversè ut soni, & ipsa solida inversè in sonorum ratione triplicatâ, ut experimentis constat. Difficile autem est exactè tympanorum tonos distinguere & determinare; ex variorum tamen tympanorum inter se collatione optimè deteguntur. Possunt etiam tympanorum soni acui & deprimi per majorem vel minorem superinductae membranae tensionem aut relaxationem, quae ope nodorum mobilium fieri possunt.

§. 30. Sonum etiam edunt scyphi vitrei, si pulsentur, vel digitus madefactus vitri limbū superiorem ambiat & leviter premat: digitus enim fungitur quasi plectri munere, & tremulum motum conciliat partibus vitri, quem ipse digitus sentit, & quem adesse evidentissime docet aqua scypho infusa, continuo subsiliens, & crispata; ita ut quaedam guttulae aliquando satis longè exsiliant, motu nimirum partium vitri communicato ipsi aquae. Si verò manu teneatur scyphi corpus, non sonat, quia vibrationes à manu suffocantur, impediuntur. Diversi scyphi diversos tonos edunt, & credibile est hos eandem sequi proportionem, quam campanae, quod etiam confirmatur ex eo, quod binos scyphos, satis similes, tertiae minoris intervallum exacte constituent, invenerim habere diametros ut 5 ad 6. Idem scyphi etiam varios sonos edunt, prout vel vacui vel pleni sunt, vel etiam variam liquidi quantitatem sibi infusam habent: docent verò experimenta, quod sonus sit acutissimus, si sint vacui; deprimatur vero, dum repleantur aliquo liquido; gravissimus, cum sint pleni. Hinc non fidendum iis, quae vulgo apud varios autores legimus, sc. sonum effici tanto acutiores, quo plus aquae continet scyphus, & contrà; quem error commiserunt varii. Dixit etiam *Aristoteles*, quod dolia semiplena adscendant ad octavam soni, quem vacua edunt percussa; cui tamen an fides sit habenda, valde dubito. Non tamen sequitur mutatio soni proportionem quantitatis infusi liquidi: sic scypho successivè infudi tres partes liquidi aequales inter se; prima tantum deprimebat scyphi tonum per semitonium majus, secunda per tertiam maiorem, tertia per quartam. Et licet plura instituantur experimenta; non tamen ulla certa invenitur regula, juxta quam ex infusa liquidi quantitate de toni mutatione certo judicare possumus: quod idem ex suis experimentis conclusit *Mersennus*. Non omnes scyphi etiam ad idem intervallum descendunt, cum implentur, quidam ad sextam, alii ad octavam, nonam, &c. estque illud intervallum in majoribus scyphis majus, in minoribus minus, in parvis admodum vix ulla differentia. Hinc liquet, quid de eorum opinione judicandum sit, qui statuunt, schyphum cuiusvis magnitudinis ad medietatem repletum edere octavam inferiorem. Scripsit *Mersennus*, quod aqua, vinum, & oleum, eundem effectum praestent in scyphis unisonis, quando aequalis alicujus horum liquorum copia infunditur; inveni tamen, quod muria salis marini fortissima sonum scyphi per semitonium magis deprimit.

deprimeret, quam simplex aqua, si utroque liquido seorsim idem scyphus repleretur. Hinc liquet, quod pro diverso liquido possit variari toni mutatio. Credibile etiam fit, quod liquida specificè graviora etiam magis deprimant ejusdem scyphi sonum, quam leviora. Unde forte non improbabile fit, quod haec soni depressio oriatur ab aquâ celeritatem tremorum partium vitri per suam resistentiam imminuente, & sic soni gravitatem augente. Huic opinioni favent dicta de campanis. (§. 28.) Accedit, quod scyphus aquae immersus, & simul aquâ plenus, edat sonum graviorem, quam si aquae immersus simul vacuus sit, aut in aëre plenus aquâ. Affirmat etiam Kircherus, sonos esse tantò graviores, quantò liquidum est crassus; leviores, quantò est subtilius. Sonus scyphorum etiam est compositus ex pluribus junctis, plerùmque inter se harmonicis, facilimè saepè distinguendis, eodem modo ut de campanis dictum. (§. 28.) Hinc non mirum, quod scyphi sonus aliquando ad octavam altiùs adscendat, ut aliquoties observavit Galilaeus; simul tunc observans, quod fluctus, maximâ cum acquabiliitate formati, (scyphus enim impositus erat vasi ampio ad scyphi oram infusam aquam contingenit,) singuli se dividerent in duos, quod accidens formam octavae duplam esse, clarissimè demonstrat. Multa hic investiganda supersunt.

§. 31. Transirem nunc ad examen instrumentorum οὐφυσμένων sive πνευματικῶν, quae inflata, seu vento animata sonum edunt; sed primò quaedam de medio sonum ad nostras aures deferente notanda sunt, & praemittenda. Tale medium affirmo esse aërem; & constat hoc ex innumeris Boylej & aliorum experimentis, demonstrantibus in vacuo nullum fieri sonum à corporibus vel maximè sonoris, campanâ, tintinnabulo, horologio, &c. nisi in certo casu, cùm sonus per ipsa solida, tremores sonores recipientia, defertur, de quo postea. Non verò sonos deferunt quaedam particulae sonorae dictae, ex ipsis corporibus sonantibus egredientes, & ad aures delatae; aut quaedam particulae subtile salinae, ut est Willisi opinio: nec etiam materia subtilis, vel aether, aut alia similis; loquor enim ubique de fono, quem nos audimus. Quae vulgo pro hac sententiâ adferuntur, nihil evincunt. Sic in vacuo Torricelliano sonum fieri posse, ex Kircheri experimento Musurg. l. i. cap. 6. allato non sequitur; quia ibi tale vacuum non existisse, sed aërem adfuisse, evidentissimè docet adscensus aquae tantum ad 10. pedes, cùm alias ad 32. & amplius sustineri debeat: aqua etiam sem -

semper aërem in se continet, quem in vacuo posita emittit. In vacuo Boyleano sonum audiri, persuperstitem materiam subtilem delatum, testibus ipsis accuratissimis experimentis falsum est. &c. Soni ergo medium est ipse aëris crassior elementalis; objectiones enim ad hanc sententiam enervandam vulgo allatae, nullius sunt momenti. Sic quod sonus propagetur celerius, quam moveatur aëris in summis ventis; etiam semper eadem velocitate, sive magnus sit, sive parvus; ut &, sive adverso, sive secundo vento delatus; semper velocitate uniformi, positis iisdem aëris conditionibus; tam subito ad ingentem distantiam debeat commoveri aëris; aliaque similia potius confirmant nostram sententiam, ut dein parebit, minimè vero eam destruunt. Hinc liquet, quid sit judicandum de illis, qui pronunciant in vacuo fieri posse sonum; sonum à campanis, vel aliis corporibus, in vacuo Torricelliano non tantum produci; sed idem acumen retinere, quod in ipso aëre habebat; soni hujus magnitudinem nihil cedere ei sono, qui fit in aëre quem tubus clausus includit; & similia alia.

§. 32. Propagatur autem sonus per aërem, dum aëris sonoro tremulo corpori vicinus, momento itus particularum corporis sonantis ab iisdem compressus, condensatus, hinc magis elasticus factus; sequenti momento redditus libero iterum acquisito spatio, se quaquaversum expandens, tam versus aërem vicinum, minus densum, minus elasticum movetur, quam versus locum, unde à sonantis corporis tremulo motu agitatis partibus dimotus erat, jam ipsis reconcessum. Dum enim partes aëris corpori sonoro proximae, sic eunt & redeunt per vices ad instar partium corporis tremuli sonantis; motus hic oscillatorius ope elateris aëris propagatur undique in directum, quia partes aëris agitatae sibi proximas agitant, eaeque ulteriores, & sic porrò. Hinc toties eunt & redeunt partes aëris singulae, quoties eant & redeant partes sonori corporis; & iis quiescentibus mox quiescit etiam aëris hisce vicinus, sequenti momento huic vicinus, & sic porrò: videatur hic Cl. s' Gravesande, ubi additâ figurâ haec clarius explicata habentur. Cumque aëris se expandat quaquaversum, & quidem aequaliter, sequitur, quod hic oscillatorius motus à punto sonoro tanquam centro, quaquaversum in ambitum sphaere debeat propagari & quidem aequalibus temporibus ad aequales distantias; unde variae & concentricae sphaerae partium simul euntium & redeuntium circa corpus sonans generantur, & quidem tam diu, quam diu partes

tes sonori corporis tremulo motu agitantur; dum interim semel natae continuo ulterius extenduntur, & sic maiores sunt, juxta ductos ex centro sonoro in ambitum sphaerae radios, continuato alterno ita & reditu partium aëris, ex alternâ compressione & dilatatione orto. Hinc variis factis concentricis sphaeris, in sat magnâ à corpore sonoro distantiâ in eâdem linea rectâ variae partes aëris eunt & redeunt; sed non omnes simul eunt, & simul redeunt, (sic enim determinatas ab invicem distantias servando, non rarefierent, & condensarentur per vices,) sed aliquae eunt, dum aliae redeunt, idque vicibus alternis in infinitum. Hinc liquet, quod à partibus tremulis corporis sonori fiat in aëre motus analogus cum motu undulatorio, quem excitat corpus tremulum in superficie quiescentis aquae, ut examinato undarum in superficie aquae motu, & factâ cum aëris motu comparatione, clarè liquet, gravitas enim undarum aquearum supplet locum vis elasticæ aëris. Hinc vocari potest unda aëria aëris compressus cum insequente dilatato; suntque hae undae omnes latitudine circiter inter se aequales ob aequalia temporis intervalla, quibus partes tremulae corporis sonori tremoribus suis singulis singulas undas excitant. In hoc autem tremulo, oscillatorio, vel (si ita appellare licet) undulatorio aëris motu ejus sonum consistere, sonique translationem nihil aliud esse, nisi propagationem illius motus, ex eo apparebit, quod omnia sonorum phænomena per eundem quam elegantissime explicari possint, & talem motum reverâ in aëre fieri debere, ejus elasticitas evincat.

§. 33. Recipit aër hunc oscillatorium motum (§. 32.) variis modis, dum scilicet partes tremulae elasticæ sonori corporis concutunt aërem per reciprocos tremores sui elateris. Hoc modo sonum in aëre excitant omnia hactenùs descripta corpora. Vel ope materiae inflammabilis, se cum summâ vi subitissimè dilatantis, siveque aërem vicinum repellentis, comprimentis, ut in tormentis bellicis, sclopetis, auro fulminante, &c. appetat. Hic autem multum faciunt ad fortioriem vel debiliorem sonum producendum natura materiae inflammatae, locus in quo fit accensio, circumposita corpora vicina, &c. Vel, cum ipse aës ad corpus quiescens allidit, illud movet, atque ab ejus, vel partium ejus motu, pro variâ ejus dispositione varias con qualitates, & sic oscillatorium motum recipit. Hoc modo sonum faciunt venti. Sic ventus vehemens sonum excitat in campanili. Sic sonum edunt tensæ instrumentorum chordæ vento expositæ.

Sic instrumentum aeolium, quod solo fortioris venti chordas radientis impulsu sonum efficit, invenit & descripsit Kircherus. Sic etiam ope aëris à corpore sonoro agitati, agitatur aliud priori unisonum vel harmonicum, & ita rursus aërem movet & sonum edit; de quo phænomeno dein adhuc plura. Hoc modo etiam sonum edunt omnia instrumenta pneumatica, quò & voces animalium pertinent, ut nunc videbimus.

§. 34. Fistulae sonum edunt, dum aëris iis inspiratus in lingulam impingens eam movet, à cujus tremulis vibrationibus in undas reciprocas percussus sonum facit. Eodem modo fit vox animalium, nam tunc aëris ex pulmonibus exeuns (fit enim vox exspiratione) in asperam arteriam & ventriculos anteriores campaniformes, indè in glottidem, celerius ibi movetur propter viac arctationem, illidique in corpus elasticum tremulum, undè motum oscillatorium, seu undulatorium (§. 32.) recipit. Prout nunc fistularum corpora, per quae aëris deinceps movetur, figurâ, amplitudine, caeteraque dispositio varient, sonus earum summoperè variatur: hinc tot variorum sonorum in organis regis, vel systemata. Sic etiam aëris ex glottide egressus, transeuns per varia cava corporis membranosi oris & narum, pro variâ horum locorum glabritie, asperitate, aperiturâ, figurâ, amplitudine, coeterisque conditionibus variis, varias sonorum species efficit. Hinc tot diversae diversorum hominum voces. Hinc toties ejusdem hominis vox variatur variis temporibus & circumstantiis. Hinc falsa est illa idea, quam homines vulgo habent de ingratis voce, indè, ut dicunt, oriundâ, quod aliquis loquatur per nāsum; cum contraria sonus tunc non per nares, sed solummodo per os exit, clausis enim naribus talis ingratia oritur. Hinc hoc virtus plerūque laborant senes, cum perspicilla nāso imponant: & etiam illi, qui continuo usu pulveris sive tabaci nasalis nares obstruunt: ut & illi, qui polypo narium laborant. Hinc etiam liquet, quod canalis asperae arteriae pro instrumento aërem suppeditante inserviat, & sic eodem, quo anemotheca in organis, fungatur munere; non verò sit causa soni, ut veteres credidere. Verum quidem est, quod magna pars avium aquatilium, quae vocem validam habent, habeant resonantem tracheam: sed ratio est, quoniam in iis epiglottis sita est ad infimam partem asperae arteriae; non verò ad superiora, ut in homine. Ex his raucedo, ut & mutationis vocis pro variâ aetate, & in lue venereâ affectis intelliguntur.

§. 35. Fistularum toni, sive gravitas & acumen, à variis causis pendunt: hae quidem in variis fistulis pro variâ earum structurâ variae sunt, quamvis causa proxima semper sit eadem; velocitas enim oscillationum acumen, & tarditas earundem gravitatem soni efficit. Datis fistulis ejusdem diametri, sed varias habentibus longitudines, longiores dant graviores sonos; non tamen soni sunt exactè acume-
ne proportionales longitudinibus inversè, quamvis in minoribus interallis haec differentia non sit admodùm magna. Unde, si fistulae absindantur variae partes secundum rationes intervallorum toni, tertiae, quartae, quaesita intervalla quam proximè fiunt: si verò intervalla sint nimis magna, differentia satis fit sensibilis; hinc subdupla longitudo non dat octavam, sed ab eâ per semitonium, aliquando plus differt, praesertim in tubis paulò majoribus. Juxta observata Mersenni 7 fistulae ejusdem diametri A, B, C, D, E, F, G, sed habentes longitudines ut 1, 3, 4, 5, 6, 7, 8, de-
derunt haec intervalla: A cum B undecimam, cum C decimam tertiam, cum D decimam quintam, cum E decimam sextam ma-
jorem, cum F decimam septimam majorem, cum G decimam no-
nam. Datis iisdem fistularum longitudinibus, soni gravitate dia-
metris adhuc minus proportionales sunt; experimenta enim Mer-
sennum docuerunt, quod quinque fistulae ejusdem longitudinis α , β , γ , δ , ϵ , habentes diametros ut 1, 2, 4, 8, 16, formaverint haec intervalla: sc: α cum β tonum, β cum γ , γ cum δ , δ cum ϵ tertiam minorem; ita ut α & ϵ nondùm dederint octavam. Da-
tis longitudinibus & diametris fistularum in ratione intervallorum inversâ, quaesiti soni obtinentur, docentibus id experimentis. Hinc liquet, falsas esse eorum sententias, qui fistularum sonos caeteris pari-
bus longitudinibus vel diametris acumine inversè proportionales ju-
dicant; nec non illorum, qui semper soliditatum rationem exhibere gradus gravitatis pronunciant: patet verò fistularum similium sonos esse in subtriplicatâ soliditatum ratione inversâ; vel in simplici inver-
sâ ratione diametrorum, aut longitudinum. Haec cum inventis de pulsatilibus convenientiunt. Ex his liquet, cur in organis tam longi-
tudine quam diametro differant tubi; & organopoeorum regulæ facilè deduci, intelligi, examinari, imperfectae corrigi possunt. Cùm tamen fistulae tam exactè vix fabricari queant, & aliquando per varias causas discordentur; varii modi adhuc sunt, quibus ea-
rum sonus attolli vel deprimi potest. Fistulae aliae clausae sunt, aliae apertae; datis dimensionibus iisdem clausae sonum edunt octavâ

graviorem, vel circiter. Clasfarum sonus attollitur vel deprimitur deprimendo vel elevando opercula; vel etiam auriculas ad orum latera appositam, quae unicè ad perfectam tuborum concordationem servint, dilatando aut comprimendo. Apertae fistulae concordantur, dum sonus earum attollitur elevando & versus superiora aperiendo earum lumina; dilatando partem superiorem apertam cylindri; minuendo longitudinem: vel deprimitur deprimendo lumina, eaque claudendo imminuendo ope cerae ad partem superiorem appositam; coarctando cylindri partem supremam. Fistulae zooglossae, anthropoglossae, similesque, filum habent aulotonum rigidum, quo elevato vel depresso, lamina cuprea elastica tremula ad semicylindri latus apertum magis vel minus claudendum adigitur; unde, prout hujus laminæ pars libera minor vel major est, adeoque ejus tremores ab aëre egrediente moveante celeriores vel tardiores, sonus est acutior vel gravior: hujus fili ope concordantur. Si praeterè his addantur corpora sensim latescentia dum assurgunt, fiunt tubae dictæ; quarum soni acumen & gravitas dependent à constitutione laminæ elasticae tremulae, & fili aulotoni, & etiam à magnitudine corporis. Fistularum soni etiam acui & deprimi possunt per majorem vel minorem quantitatem aëris vel venti inspirati; hinc altiores evadunt, si foramina, per quæ ventum recipiunt, dilatantur. Acuminum verò augmenta pro variis venti augmentis, & in variis fistulis, etiam varia sunt; hinc fistulae ad varia intervalla scandunt, pleraque ad octavam, aliae ad quintam, duodecimam, decimam quintam, ad semitonium aliae; nulla autem certa est regula: difficultè hoc sit, si sint admodum breves; si sint longiores, facillimè. Mersennus scripsit, se habuisse fistulam, quae adscendebat primò ad octavam, tunc ad duodecimam, & tandem ad decimam quintam. Perrault dixit, se habuisse fistulam nullis foraminibus praeditam, solà venti augmentatione edentem omnes tubarum sonos. Tubae autem varios & miros saltus ex auctâ inspiratione producunt, primò octavam, tunc duodecimam, tunc decimam quintam, decimam septimam, decimam nonam, vigesimam secundam, vigesimam tertiam, vigesimam quartam, &c. Aliae fistulae sunt, quæ varia oscula seu foramina habent, à quorum numero tristomae, tetrastromae, pentastomae, hexastomae, &c. appellantur. His aulodi periti innumeros sonos exhibere possunt, gravitate & acumine differentes pro variorum osculorum clausurâ & aperturâ variis, quibus ipsæ fistulae quasi elongantur & abbreviantur. Sed tot sunt variae

variae variorum instrumentorum proprietates, ut omnibus enarrandis vix liber sufficeret; quare haec relinquo.

§. 36. Tonus vocis cantantis hominis variatur, dum rima, quam formant suo nexus hic posita cartilagine, arctatur vel aperitur, quod innumeris modis fieri potest pro variâ muscularum hic positorum actione. Hinc enim majori vel minori velocitate motus aer pro minori vel majori rimae aperturâ, & simul celeriori vel lentiori expulso, adeoque in indulationes celeriores vel tardiores repercussus, sonos etiam acutiores vel graviores efficit. Hinc illi, qui tentant graviorem vocem edere quam possunt, sonum amittunt propter nimiam rimae dilatationem. Hinc liquet, quomodo non tantum respiremus, sed & saepè vi magnâ expellamus aerem sine sono. Simile quid in fistulis organicis observatur, quae, si sint nimiae magnitudinis, etiam sonum amittunt. Sic observavit *Sauveur*, quod fistula 40 pedum edat sonum gravissimum nobis audibilem. Fatentur etiam organopoei, quod difficillimum sit efficere, ut maxima fistulae bene sonent. Si audiamus solas fistulas maximas organorum, quae aliquando sunt 16, 24, aliquando 32 pedum, si sint apertae; aut subduplæ longitudinis, si clausæ; harum sonus apparet admodum debilis simul & gravissimus: si tamen aliis minoribus jungantur, iis maximum robur conciliant. Hinc etiam, qui tonum tentant edere acutissimum, experiuntur suos pulmones quasi suffocari, ut & laryngi inferri stridorem, nimis sc: arctatâ aut ferè clausâ viâ. Hinc etiam tunc vix aer ex pulmonibus emitti potest sine editâ voce. Hinc cantando maximè idonei sunt illi, qui musculos glottidi movendæ servientes maximè agiles; ligamenta laryngis cartilaginea netentia maximè obsequiosa; aperituram glottidis maximè variabilem; guttur, os, palatum, nasum, optimè conformata; omnia organa vocis glaberrima, & maximè lubricâ superficie praedita; thoracem & pulmones maximè explicabiles habent: hi enim celerrimam tonorum mutationem; maximam varietatem, suavitatem, distinctionem, puritatem, gratiam exhibere possunt; & simul maximum robur vocis, & longitudinem animae habent.

§. 37. Loquela dependet ex eo, quod sonus organis extra laryngem positis, gutturi, linguae, dentibus, labiis, genis, naribus, palato, vario suo concursu & positu multis modis variandis, illatus; hinc in transitu vel reflexu mutatus, determinatus; literas exhibeat: quarum combinatione ulterius configuratus, articulatus, syllabus

& vocabula format, ex quibus junctis fit sermo. Hinc pro variis organis, & oris regionibus, quibus literae formantur, aliae gutturales, aliae linguaes, aliae dentales, aliae labiales, aliae palatinae vocantur. Hinc, cum quaelibet litera sibi peculiarem organorum configurationem requirat, & unius ab altera discrimen sit ad oculum satis visibile, hodiè tanto cum successu surdis & mutis sit medela; voces enim ab aliis prolatas oculis audire, & organorum directionem imitando loqui discunt. Hinc variae variarum harum partium malae conformatioes, aut morbis factae depravationes, destructiones, variè loquela immutant & depravant; dum literae his propriae vel penitus non, vel non bene amplius pronunciari possint: unde medelae requisitae, vel incurabilitas multorum loquela vitiorum, sponte deducuntur. Hinc patet, cur varia animalia pro variâ suorum organorum constitutione varios, & magis vel minus articulatos sonos edant? Cur quaedam animalia, ut psittacus, aliaque, suorum organorum motu & configuratione voces humanas, & vicissim homines animalium voces imitari possint? Hoc fundamento nituntur etiam fabricae fistularum zooglossarum, anthropoglossarum, similiusque; quibus animalium, vel & humanas voces non tantum, sed & articulatos sonos, literas, syllabas, & vocabula, proferre conati sunt artifices. De his omnibus videri possunt *Conradus Amman*, aliquie.

§. 38. Quod anteâ notatum est in chordis, campanis, &c. de soni compositione; de fistulis idem, & vocibus humanis verum est. Si fistula clausa & magna satis vento inspirato in sonum incitetur, eodem tempore bini distincti soni duodecimam formantes audiuntur. Si aliquis solus vocem gravissimam edat quanto tempore potest, puta spatio 10 secundorum, plus minus, idque pluribus vicibus; audiet aliquandò duas alias voces tenuissimas praecedentis socias, quarum una facit diapason, alia decimam septimam majorem cum fundamentali gravissimâ. In multis cantantium choris perpetuo resonat duodecima. Observavit tales sonos principalem concomitantes harmonicos *Mersennus* in chordis, campanis, cylindris, pulsatilibus, scyphis vitreis, fistulis, vocibus cantantium, & in genere in omnibus ferè corporibus sonoris. Non autem audiuntur hi soni secundarii, nisi primarius sit satis gravis; si vero hic nimis sit acutus, minimè distingui possunt: quod fieri videtur, quia prae acutissime (sunt enim primario semper acutiores) respectu nostri auditus eva-

evanescunt. Hinc in chordis admodum brevibus, tenuibus, maximè tensis; campanulis, fistulisque parvis; vocibus cantantium acutis; &c. non audiuntur. Horum phaenomenorum rationes difficilimè redduntur; plurima enim hactenùs incognita circa haec investiganda supersunt.

§. 39. Observatur etiam ab iis, qui organorum fistulas concordant, satis dignum quod notetur phaenomenon; sc. quandò duas simul sonum edentes fistulae ad unisonum appropinquant, certa sunt puncta seu instantia, quibus sonus communis seu unitus, quem formant, intensior appetit. Haec autem momenta aequalibus intervallis redeunt; & major mora inter eadem est, si proximè ad unisonum accedant, quam cùm longius indè distent; etiam cùm graviores sonos edant, quam si acutiores. Hujus nunc phaenomeni hanc causam satis probabilem dedit *Sauveur*: sc. quod ideo communis tuborum sonus fiat intensior, quia oscillationes, quae aliquamdiù separatae fuerunt, in unum coēunt, uniuntur, & eodem instanti aurem ferientes soni intensioris ideam menti exhibent. Quo posito patet sponte, eò pauciora esse puncta intensionis in dato tempore, quò ratio sonorum majoribus numeris radicalibus exprimenda; tanto enim pauciora sunt puncta concursus: etiam quò soni sint graviores; tanto enim majus est tempus cujuscumque vibrationis. Hinc liquet etiam, quod hi concursus facilius in his quam in aliis intervallis & fistulis animadverti possint. Cùm vero, hos pulsus ab aure distinguiri posse, ingratum admodum sit; sequitur, illa intervalla, in quibus hi nunquam audiri possunt, esse gratissima, & contraria. Hinc nunc plurima eadem sequuntur, quae (§. 17.) jàm proposita sunt; undè haec assignata causa non contemnenda videtur. Si nunc his positis sumantur duae fistulae satis magnae, & constituentes intervallum satis parvum; ita ut intervalla inter earum pulsus sint sensibilia, & satis magna, quae distinctè numerari, & sic vibrationibus alicujus penduli mensurari possint: cognoscimus exactè ex cognitâ penduli longitudine durationem cujusque vibrationis ejusdem; (§. 20.) adeoque etiam durationem inter pulsus fistularum. Hinc, cùm aliundè ex cognito fistularum intervallo cognoscatur numerus vibrationum eodem tempore à binis fistulis in aëre excitatarum, (§. 16.) qui numerus absolvitur intervallo duorum pulsuum jàm cognito; sciemus etiam praecise, quot vibrationes quaevis fistularum determinato tempore efficiat. Adeoque, cùm certus & determinatus sonus à certo itidem & determinato vibrationum dato tempore

ab-

absolvendarum numero pendeat, & rationes vibrationum omnium sonorum sint cognitae; cognoscemus etiam, quot vibrationes quilibet dato sono in dato tempore competant. Hinc adeoque etiam determinari potest sonus fixus, cuius tota natura consistit in determinato vibrationum numero certo tempore absolvendo; & perinde est, à quonam instrumento excitetur. Huic sonum fixum inventi methodo *Sauverianae* adjungere liceat aliam à *Stancario* ex cogitatam, quae consistit in rotâ tripodalis circiter diametri, cui ducenti ferrei paxilli perpendiculariter ad rotæ planum, & ad eandem à centro & se invicem distantiam infixi sunt. Haec rota verticaliter constituta si circa axem suum notabili celeritate circumgyretur, paxilli illi aërem verberantes tenuem quendam sonum producunt, acutiores vel graviorem pro majori vel minori rotæ velocitate, seu ictuum numero, quos eodem tempore aër à paxillis accipit. Dato igitur sono quodam, talis rotæ velocitas conciliari potest, ut sonus à rotâ productus cum dato sit unisonus, musicâ aure teste: quâ rotationis velocitate servata, (quam minimè alterari ex ejusdem soni permanentia constabit,) si rotæ ipsius circumvolutiones certo minutorum secundorum numero ope horologii oscillatorii determinato peractae diligenter numerentur, facile constabit, quot ictus hoc tempore, adeoque etiam unico minuto secundo, eidem aëris parti à paxillis incusfi fuerint. Et sic determinari potest sonus fixus. Utile autem est rotæ agitationem ad quatuor aut sex minuta prima temporis continuare, ut ex majori illo numero numerus ictuum uni secundo scrupulo conveniens tutius colligatur. Hac ratione organorum & omnium corporum sonorum limites, quibus sonus nobis audibilis est inclusus, detegi possunt. Invenit *Sauveur*, quod à binis oscillationibus chordæ, seu unâ ex itu & reditu compositâ, constituantur vibratio acustica. Invenit *Stancarius*, vibrationum numeros servare easdem proportiones, quas anteâ intervallis assignavimus, (§. 16.) adeò ut hae rationes per experimenta constent.

§. 40. Examinemus jam sonum in medio deferente. Tale medium est aës: (§. 31.) sonus in eo est motus undulatorius, (§. 32.) in eo excitatus variis modis: (§. 33.) undarum in aëre numerus idem cum numero agitationum partium corporis sonori, (§. 32.) quod mox ulterius patebit, adeoque gradus acuminis diversorum sonorum ut numeri undarum, qui eodem tempore in aëre dantur; unde dicta (§. 16.) huc referri possunt. Si vero examinetur motus cujuscunque particulae aëriae, quem in suo itu & reditu habet, inve-

invenitur hic analogus cum motu penduli oscillatorio, dum duas simplices perficit oscillationes, sive unam ex itu & reditu compositam. Dum enim pendulum in oscillatione descendit, actione gravitatis conspirante motus ejus acceleratur usque ad punctum infimum, seu medium viae percurrentae; ubi mutata directione cum motu acquisito pendulum adscendat, contrariâ gravitatis actione retardatur, & motus in totum destruitur: hoc destructo, iterum iisdem legibus redit. Dum aeris particula movetur ex elasticitate, motus ejus ab eadem acceleratur usque ad punctum viae medium; tunc hoc motu acquisito pergit, sed mutata elasticitatis directione retardatur, percurrit spatium aequale priori, tuncque totus hic motus iterum destrutus est: quapropter actione elateris cogitur redire, iterum acceleratur usque ad punctum viae medium; tunc iterum mutata elasticitatis actione, motu acquisito pergit, retardatur, ad pristinum situm redit, quietcit si de novo non agitetur. Ipsa etiam acceleratio & retardatio motus particulae, & hinc ejus itus & reditus, fiunt juxta eandem legem, quam sequitur corpus gravitate in cycloide motum: hoc enim assumto, invenitur quod vis accelerans in particulas agens omni momento, sit proportionalis differentiae inter distantias vicinas particularum; sed ex cognitâ elasticitatis lege, quod particulae sese mutuo fuggiant cum vi, quae est inversè ut distantia inter particularum centra, deducitur, quod eadem vis accelerans re verâ in aere locum habeat; undè particulam quamlibet re verâ juxta leges in cycloide oscillantis penduli moveri, recte concluditur. Videantur haec demonstrata apud Newtonum, & Cl. s^o Gravesande in inst. Phil. Newt. Hinc nunc sequentia facile deducuntur. 1°. Datâ eadem latitudine undarum hae eadem velocitate moventur, sive particulæ majus vel minus spatium itu & reditu suo percurrent: nam factâ majori compressione, vis accelerans crescit ut spatium percurrentum; suntque omnes ejusdem penduli vibrationes isochronæ, sive maiores vel minores sint; sed positis iisdem temporibus, quibus undæ suas aequales percurrent latitudines, earum velocitas est eadem. 2°. Idem etiam verum est, licet undarum latitudines sint inaequales: fingamus enim spacia itu & reditu percursa esse ut undarum latitudines, inveniuntur tempora in eadem ratione, adeoque velocitates aequales; hypothesis autem de spatiis percursis latitudinibus undarum proportionalibus non minuit asserti universalitatem. (n. 1.) Supposuimus hic eandem constitutionem aeris; si vero

3° densitas ejus mutetur manente eādem vi elasticā ; erunt , positis undis ut & spatiis itū & reditu percursis aequalibus , tempora in subduplicatā ratione quantitum materiae seu densitatum , & velocitates in hac ratione inversā . 4° Si manente densitate mutetur vis elastica ; erunt , positis iisdem (n: 3.) , velocitates directē in subduplicatā ratione vis elasticae . 5° Si mutetur tām elasticitas quam densitas , velocitates erunt in ratione compositā ex subduplicatā densitatum inversā & subduplicatā directā vis elasticae (n. 3. & 4) : si adeoque mutantur in eādem ratione , velocitas non mutabitur ; nam inversa ratio densitatis destruit directam vis elasticae . Haecque vera sunt , licet nec undae nec spatia percursa sint aequalia . (n. 1. & 2.) Haec omnia ex demonstratis pendulis constant .

§. 41. Ulterius undarum velocitas invenitur determinando altitudinem , quam atmosphaera haberet , si ubique ejus esset densitas , quam habet prope superficiem telluris : demonstratur enim , quod , si hac altitudine tanquam radio fiat circulus , undae percurrent spatium circumferentiae hujus aquale eo tempore , quo pendulum ejusdem etiam cum hac altitudine longitudinis peragit unam oscillationem ex itū & reditu compositam ; quaecunque etiam fuerit undarum latitudo , & qualecunque spatium in iis itū & reditu percursum à particulis . Undē , cūm cognitā altitudine mercurii in barometro elevati , & ratione inter densitatem aëris & densitatem mercurii , altitudo memorata atmosphaerae inveniri possit , & etiam tempus , quo tale pendulum oscillat ; (§. 20.) cognoscitur etiam quam proximē , quantum spatium hoc tempore percurrent undae ; adeoque etiam dato quolibet tempore , cūm undarum velocitas sit aequabilis , si tantum aëris densitas & elasticitas sint uniformes , (§. 40. n. 1. & 2) aut in eādem ratione mutatae . (§. 40. n. 5.) Hinc , cūm tempus oscillationis ex itū & reditu compositae sit ad tempus casus corporis gravis motu uniformiter accelerato per dimidiam hanc altitudinem , ut circuli peripheria ad radium ; & tempore hujus casus velocitate ultimō acquisitā possit percurrere integrum altitudinem : percurret etiam tempore dictae oscillationis integrum peripheriam circuli hac altitudine tanquam radio descripti ; adeoque velocitas undarum est aequalis velocitati ultimō acquisitae à gravi cadendo à semialtitudine memoratā . Praeterea cūm haec atmosphaerae altitudo sit directē ut aëris vis elastica , & inversē ut ejus densitas ; & velocitas acquisita ca-

den-

dendo vi gravitatis à semialtitudine hac sit in subduplicatâ ratione ejusdem; erit etiam in subduplicatâ ratione vis elàsticae directe, & densitatis inversè; adeòque etiam undarum velocitas, quae huic aequalis est; undè ex his eadem sequuntur, quae §. 40. n. 3, 4, §. jàm vidimus. Hæc autem modo exposito detegenda velocitas augenda est pro ratione, quam habent diametri particularum aëris, per quas sonus in instanti propagatur, ad earum interstitia; ut & pro ratione corpusculorum in aëre natantium. Cùm autem has rationes ignoremus, dictâ methodo undarum velocitas exactè cognosci non potest. Ope explosi nocte sclopeti, & penduli, quo aliquis ad cognitam distantiam à sclopeto remotus, mensurat tempus inter vitum lumen & sonum auditum, exactè undarum velocitas hoc tempore determinatur; quae tamen variabilis est pro aëris elatere & densitate variis. Si eodem tempore tali experimento inveniatur vera undarum celeritas; & simul methodo expositâ illa velocitas, quae esset, si nulla haberetur ratio diametrorum particularum aëriarum, & materiae heterogeneae; haec à priore subducta relinquet accelerationem ex iisdem oriundam hoc tempore.

§. 42. Ex his (§. 40. & 41.) intelliguntur pleraque circa sonorum velocitatem phænomena. Cur tanta soni velocitas? Cur tamen tantò citius è loginquo videamus lumen explosi sclopeti, bombardæ, fulminis, ictum mallei, &c. antequâm sonum audiamus? & liquet, quod ex intervallo temporis interlapsi distantia colligi possit: videatur de utilitate cognitionis hujus phænomeni Boyle de util. Phil. Exp. Exerc. 10. Cur soni velocitas non omni tempore, & omni loco inveniatur eadem? & cur spatium à sono tempore unius minuti secundi percursum à variis varium inventum fuerit? Sic hyeme tardius movetur sonus quam aestate, quia calor aëris elaterem intendit, frigus minuit; crescit autem vel minuitur soni velocitas ut radix quadrata elateris aëris. (§. 40. & 41.) Ex hac causâ in apice montis etiam lentiùs propagatur sonus quam ad radicem, quoniam in culmine plerūque majus frigus, ut perpetuis nivibus testa altissimorum montium cacumina, licet ad montis radicem sit calor satis intensus, & innumerae viatorum montes visitantium observata evincunt. Cur aëris major vel minor compresio, adeòque major vel minor indè oriunda densitas, non mutet soni velocitatem? tunc enim densitas & vis elàstica mutantur in eadem ratione. Hinc nil facit ad soni accelerationem variatio mercurii

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

curii in barometro; adeoque ex mutata altitudine ejus non judicandum est, soni velocitatem mutari: quod idem invenit *Derham*. Ex hac causâ eadem foret soni velocitas in valle, montis cacumine, & quibuscumque atmosphaere regionibus. Cur soni velocitas sit uniformis, positis ubique iisdem aëris conditionibus? Constitit illud etiam experimentis; homines enim ab explosâ bombardâ ad varias distantias cognitas remoti, invenerunt semper ope pendulorum tempora inter visum lumen & auditum sonum spatiis, quibus à bombardâ distabant, proportionalia: vide *Sobelbam de auditu*. In majoribus spatiis aliquando tamen acceleratur aut retardatur ex mutatis ibidem aëris conditionibus. Patet adeoque, quid dicendum de iis, qui statuunt velocitatem soni in progressu semper minui. Cur ventus secundus vix aut non sensibiliter acceleret, aut adversus retardet soni celeritatem? venti enim vehementissimi, quibus arbores eradicanter, & tecta aedium disiciuntur, secundum *Mariotti* observationes tempore minutij secundi circiter 32. pedes Parisienses percurrunt; sonus vero circiter 1070. vel 1080, plus minusve: velocitates ergo venti & soni sunt ut 1 ad 33. vel 34. circiter; unde liquet mutationem velocitatis soni à vento conspirante vel adverso non esse admodum magnam. Praeterea haec acceleratio aut retardatio non diu durat; nam ventus certam quantitatem aëris ex uno loco in alium defert, sonusque tantum acceleratur aut retardatur, dum hanc aëris partem transit; citissime autem hic transitus absolvitur ob maximam soni velocitatem. Testatur *Derham*, se factis summâ cum curâ experimentis didicisse, differentiam velocitatis esse aliquam, licet exiguum, inter velocitatem soni secundo & adverso vento propagati; quod cum dictis congruum est. Est autem mutatio velocitatis tanto major, quo venti celeritas major, & major aëris mole vento agitur: non tamen aequabilis, quia ventorum velocitas non est uniformis, sed per intervalla irregularia nunc major, nunc minor. Compressio aëris à ventis in obstruenda impacti, aut à ventis contraria directione in se in mutuò tendentibus facta, soni celeritatem non mutat. Liquet adeoque, quid dicendum de his, qui tormenti bellici iustum & quicquid in universum soni est, ad aures citius secundo, quam adverso vento pervenire statuunt: ut &, si eri posse, quod aës à nobis aufugiens sonum celeritate aequaret, & ita sonus omnino non audiretur. Cur sonus gravis & acutus eadem ferantur velocitate, ut experimentis constat? Pro diversitate enim acuminis vel gravitatis diversus tantum est numerus undarum

rum aequali tempore genitarum, adeoque tantum variatur undarum latitudo, quae semper est inversè ut soni acumen, vel directè ut gravitas; invenitur enim undarum latitudo dividendo spatium à sono percursum in dato tempore per numerum undarum eodem tempore genitarum, qui ope doctrinae de sono fixo cognosci potest, & semper est ut acumen directè, vel gravitas inverse. Sic factis experimentis invenit *Sauveur*, in apertarum fistularum sonis latitudines undarum esse quam proximè aequales duplis longitudinibus fistularum, & has adeoque aequari quadruplicis longitudinibus, si fistulae sint clausae. Quaecunque autem sit differentia inter undarum latitudines, eadem est sonorum velocitas: (§. 40. n. 2.) variantur autem undarum latitudines variatā sonorum velocitate. Cur sonus magnus & parvus, sive intensus & debilis, eadem propagentur celeritate, ut experimenta docuerunt? Sonus intensior est, si majus spatum itu & reditu à particulis aëris in quālibet undā percurritur, ut mox patebit, & contrà; eadem autem est sonorum celeritas, sive spatum itu & reditu in quālibet undā à particulis percursum sit majus vel minus. (§. 40. n. 1.) Hujus theorematis contrarium à multis pro concessio habetur; errori veniam conciliante hoc, quod, intensiores & debiliores sonos non ad eandem distantiam extendi, certissimum sit. *Kircherus* testatur, quod voce, tubâ, sclopo experimenta adortus, ex eodem loco deprehenderit, quod vehementior est sonus, tanto cum celerius reflecti; cui tamen parum fidēi habendum videtur, cum ipsa experimenta aliorum, & majorem fidem merentium auctorum, contrarium doceant. Observavit *de Crousaz* ope penduli, quod ad certam ab echo distantiam sonus intensus admodum, & debilissimus, in suo itu & reditu idem tempus impendant. Äquivelocitatem jam observavit etiam *Mersennus*. Hinc soni licet intensitas in progressu minuatur, manet tamen eadem velocitas.

§. 43. Cum soni intensitas pendeat ab ictibus aëris in nostra organa auditoria, erit haec ut sunt aëris percipientis vires: adeoque in ratione compositâ ex simplici ratione numerorum particularum aequali tempore percipientium, & duplicatâ velocitatum, quibus incurunt; sunt enim corporum vires & ictus ut velocitatum quadrata, ut nunc experimentis evicit *Cl. s^r Gravesande*. Sunt autem numeri particularum aequali tempore percipientium tympanum, in ratione compositâ ex directis rationibus densitatum aeris, velocitatum undarum, spatiorum itu & reditu à particulis percursorum,

&c inversâ latitudinum undarum: suntque velocitates, quibus particulae moventur, in ratione compositâ ex ratione directâ velocitatum undarum ac spatiorum itû & reditu percursorum, & inversâ latitudinum undarum. Si ergo pro ratione numerorum particularum ferientium tympanum aequali tempore substituantur rationes, ex quibus haec componitur, ut & pro ratione velocitatum earum etiam illae, ex quibus ista componitur, adeoque pro duplicatâ velocitatum etiam illae duplicatae: soni intensitas erit in ratione compositâ ex his omnibus, sc. simplici directâ densitatum aëris, velocitatum undarum, spatiorum itû & reditu à particulis percursorum, inversâ latitudinum undarum, directâ duplicatâ velocitatum undarum, spatiorum itû & reditu à particulis percursorum, & inversâ latitudinum undarum etiam duplicata; sive quod idem est, in ratione compositâ ex directâ simplici densitatum aëris, triplicatâ velocitatum undarum, triplicatâ spatiorum itû & reditu à particulis percursorum, & inversâ triplicatâ latitudinum undarum. Cùm nunc undarum velocitas sit in subduplicatâ ratione vis elasticæ directè & densitatis inversè, (§. 40. & 41.) ratio composita ex simplici densitatum & triplicatâ velocitatum undarum, aequalis est rationi compositæ ex subduplicatâ cuborum elasticitatum directè, & subduplicatâ densitatum inversè. Adeoque, quia pondus aërem comprimens ejus elasticitati aequale est, erit generaliter soni intensitas directè ut radix quadrata cubi ponderis aërem comprimentis & cubus spatii itû & reditu à particulis percursi, ac inversè ut cubus latitudinis undæ & radix quadrata densitatis; quod omnia accurate considerando nunc novissimè invenit mox laudatus Cl. s' Gravesande, & brevi ab ipso auctore publici juris fiet in secundâ editione partis primæ *Introductionis ejus ad Philosophiam Newtonianam.*

§. 44. Ex dictis his (§. 43.) facile illa deducuntur, quae ad soni intensitatem spectant, phænomena. Ex eo enim, quod soni intensitas cacteris paribus crescat in triplicatâ ratione spatii itû & reditu percursi; liquet, cur corporum sonantium intensitas itâ augatur pro majori spatio, per quod tremulae illorum partes eunt & redeunt? (§. 5.) per tantò enim majus spatum urgent vicinas partes aëris. Cur chordarum incitatarum deñ sibi permissarum, & omnium pulsatilium soni tam subitò decrescant? propter decrescentes enim tremulos minimarum partium motus, omni momento per minus spatum urgentur partes aëris. Cur soni intensitas in ejus progressu minuatur? credibile est, hoc fieri ex defectu elasticitatis,

&c

& attritu partium aëris ad materiam heterogeneam. Cur sonus intensior tantò longius propagetur? Adeoque cur tormentorum & campanarum soni tam longè possint audiri? Cur ventus secundus, vel adversus efficiat, ut sonus ad majorem vel minorē distantiam audiatur? & ut ad datam distantiam sit magis vel minus intensus? Longius propagatur sonus, & simul intensior est, si spatum itu & reditu à particulis percursum sit majus, & contrà; illud autem ventus secundus augere, adversus minuere potest. Cur soni intensitas crescat, si aëris fiat compresus, & contrà? Agitetur campanula in recipiente aëre compreso pleno, soni intensitas est multò major, & semper augetur aëta compressione; eādem imminutā minuitur. Si educatur aëris ex recipiente, prout aëris educitur, sonus decrescit, donec tandem desinat; readmisso aëre iterum restituitur, ut experimentis dicerunt *Hauksbejus*, *Derham*, & alii. Si enim caeteris manentibus mutetur vis aërem comprimens, crescit soni intensitas in subduplicata ratione cuborum virium vel ponderum aërem comprimentium; sed cùm densitas augeatur in eādem ratione, quā vis comprimens, soni intensitas decrescit in subduplicata ratione densitatis, vel vis comprimentis: si ergò radix quadrata cubi ponderis comprimentis per radicem quadratam ejusdem ponderis dividatur, quotus seu vis comprimens ipsa exprimit soni intensitatem; quae ergò semper augetur vel minuitur ut columna mercurii in barometro. Hinc in montium cacuminibus minor est soni intensitas quam in vallibus, &c. Cur soni intensitas augeatur à calore? sumatur recipiens cum innexā campanā, ita ut aperto epistomio aëris internus cum externo communicet; agitetur campanula, sonus major erit, & ad majorem distantiam audietur, si calefiat recipiens, quam si frigidum sit. Est autem caeteris paribus intensitas soni ut radix quadrata elasticitatis; mutata enim elasticitate in eādem ratione cum aëta vel imminutā elasticitate minuitur vel augeatur densitas, & calor aëris elaterem intendit. Hinc aestate, caeteris paribus, major soni intensitas, quam hyeme. Ex hac causā etiam soni intensitas minor est in frigidis montium cacuminibus, quia frigus aëris elaterem minuit. Observavit *Varenius* sonum explosi sclopeti multò debiliorē esse in vertice montis, quam ad radicem; quod ex dupli memoratā causā oriri potuit, considerato simul defectu radiorum reflexorum alias concurrentium.

§. 45. Phaenomenon §. 19. memoratum, ibique non explicatum,

nunc

nunc hoc loco commodè proponi, facillimè explicari, & intelligi potest: praecipuos ejus casus memorabo. Ponantur binae chordae unisonae, agitatâ unâ, movebitur & altera: dum enim singulae aëris undae à tremente agitatâ chordâ excitatae in vicinam quiescentem impingunt, eam levissimè commovent; sed quia vibrationes utriusque chordae sunt propter unisonum isochronae, & chorda agitata motum multò majorem habet, motusque undarum cum motu chordae movendae conspirat; acceleratur haec omni momento, donec ferè in utrâque chordâ detur motum aequalitas, & sic illa, quae anteà quiescebat, nunc satis sensibiles vibrations peragat, chartulâ impositâ subsultante vel excusâ satis agitationem indicante. Si nunc motus sic acquisitus sit satis validus, chorda haec etiam sonum edit, sono prioris chordae soffocato facilè audiendum. Sic observavit etiam Galilaeus, unum solummodo hominem impulsibus opportuno tempore impressis maximam campanam ad resonatiam excitasse, quam deinde ad quietem reducere non poterant quinque vel sex homines, quin omnes in altum elevarentur. Ex hac autem explicatione sequitur, quod ope aëris moti intermedii haec quiescentis chordae commotio fiat; undè in vacuo haec fieri non posse sequeretur, quod experimento discere in animum induxit Boyleus, non tamen fecit, nec à quodam alio hoc experimentum institutum novi: satis tamen plausibilis videtur allata explicatio. Afferit du Verney, quod aëris inter duos barbitos super eâdem mensâ positos, non omnino capax sit communicandi tremores chordae unius cum chordâ alterâ, sed quod oporteat, ut chorda tacta tremere primùm faciat barbiti, cui alligata est, lignum, ut & lignum illud barbiti mensam, mensa porrò lignum barbiti alterius, & hoc denique lignum chordam alteri unisonam ipsi alligatam tremulam reddat; quodque hoc quidem tam verum sit, ut si alter barbitorum à mensa removatur, & in aërem sublatus teneatur, experimentum non succedit. Ut cunque autem, tremorum hanc communicationem ope solidorum fieri posse, minimè negem, ut ex sequentibus patebit; solo tamen aëre intermedio illud effici posse, & re verâ maximè per eundem fieri, ex iis, quae statim amplius adferemus §. seq:, satis constabit. Liquet interim ex mox dictis, quod eodem modo chorda possit agitare aliam vicinam, cujus oscillationes peraguntur tempore subduplo, subtriplo, subquadruplo, &c. adeoque constituentem cum priori octavam, duodecimam, disdiapason, &c. quoniam semper undae acceleratricis motus cum motu chordae movendae

con-

co[n]spirat in punto concursus. Agitabitur etiam illa, cuius vibrationum tempora sunt dupla, tripla, quadrupla, &c. sed cum chordae moventis singulae vibrationes absolvantur tempore subdupo, subtriplo, subquadruplo, &c. atque adeo sint tanto celeriores, tanto plures fiunt undae chordam movendam accelerantes omni momento, donec vibrationum tempora sint aequalia, quod non nisi imminutâ longitudine fieri potest; (§. 11.) hinc illa se sponte dividit in partes duas, tres, quatuor, &c. seorsim vibrantes, & isochnas chordae moventi, punctaque divisionum erunt nodi quiescentes, eodem modo ut jam anteā vidimus; (§. 12), quod verum esse, chartula plicata chordae imposita in nodis quiescens, & omni alio loco sublultans, evidentissimè demonstrat. Sicque tunc motus undulatorius communicatur chordae, & undarum longitudo dependet à tempore inter iectus communicatos. Si chordae agitatae tempus vibrationis sit ad tempus vibrationis movenda ut 3 ad 2, movenda se dividit in 2 partes aequales, eruntque tunc tempora vibrationum ut 3 ad 1; adeoque tunc ex jām dictis motus communicatio obtinebit. Si tempus vibrationis chordae motae sit vicissim ad tempus vibrationis movenda ut 2 ad 3, chorda movenda se dividet in tres partes aequales, eruntque tempora vibrationum ut 2 ad 1; in quo casu iterū ex dictis fiet motus communicatio. Sic etiam porro in reliquis consonantiis; aucto autem divisionum numero minus notabilis sit tremor. Notandum etiam, quod haec contremiscentia non tantum contingat, cum praedictae consonantiae, seu vibrationum proportiones accuratissimè adsint; sed etiam, licet, ipsa exercitatâ aure teste, parùm deficiant à justis, quod facile ex dictis intelligitur. Haec autem omnia sic fieri, experimenta ipsa clarissimè demonstrant. Ex dictis liquet, quod, quod violentiores sint motus aeris, eo facilior & magis sensibilis erit motus communicatio; v.gr. si chordae sint admodum longae, tensae in eodem instrumento, & admodum vicinae, & agitetur accelerans satis fortiter. Hoc fundamento nititur, quod in variis instrumentis chordae quaedam intactae manent, & solummodo propter harmonicam constitutionem resonent. Intelligitur etiam, cur fides harmonicae tantum resonent? in aliis enim tremor non est sensibilis. Cur soni harmonici ex hac motus communicatione oriundi, sint primariis vel unisoni, vel acutiores, sed in serie sonorum harmonicorum, nunquam graviores? Cur & quomodo chordae, quarum soni naturales sunt graviores sono chordae agitatae,

etiam contremiscant? Cur agitatā in clavicymbalo vel simili instrumento chordā quādam , aliquando remotores resonent; cūm aliae magis vicinae quiescant: & similia.

§. 46. Porrò talis consensus mutuusque tremor non tantum inter solas chordas observatur ; sed moventur etiam chordae à quibusvis aliis aliorum corporum sonis. Sic observavit *Kircherus* in templo Moguntino, chelyos majoris chordas ad organi tonum exactè concinnatas , sponte suâ trementes , & resonantes, simul ac organi fistulae chordis unisonae ab organoedo incitarentur. Observavit idem in polychordo in musaeo posito, semper unam chordam , & nullam aliam, ad vicinae campanae sonitum in sonos animari. Sic moventur & resonant aliquando fides clavicymbali, vel alterius instrumenti ad vocem humanam. Talis tremor spontaneus à sono excitatus in omnigenis corporibus sonanti unisonis, vel harmonicis, in innumeris occasionibus observatur. Sic si duo scyphi vitrei debitâ aquae quantitate infusa ad unisonum redacti sint, & appressus madefactus digitus tantum alterutrius marginem celeriter circumeat, aqua in utroque scypho movebitur, crispabitur, & saliet, teste S. Clarke, & affirmat du Hamel, quod, si acicula incurva intacti vitri margini aptetur, sponte cum strepitu quodam, quasi ad numeros subfultabit. Testatur idem auctor etiam, sonum campanae petaso illapsum, aliquando manu percipi posse. Observavit Galilaeus, quod ad chordam crassiorem barbiti plectro fortiter pulsatam, scyphus vitreus , subtilis, politus, chordae unisonus, tremeret sensibiliter & resonaret. Refert Kircherus subinde contigisse, ut multis colloquentibus una quaedam vox scamnum tremere fecerit, reliquis vocibus nihil efficientibus: etiam ingentis molis lapidem semper tremuisse ad sonum certae fistulae organi; hoc verò silente, & sonantibus alijs nil commotionis fuisse perceptum: etiam ad certum sonum statuas fuisse commotas, non ad alium. Robaultus observavit ad certum tympanum pulsatum fenestras vitreas satis vehementer concussas, quae eadem tamen, ubi alia tympana sonum vel majorem efficientia pulsarentur, minimè tremuerunt. Observavi ipse saepè in concentu musico ad certam bassi, sive chelyos majoris tetrachordae agitatam chordam vitra trementia, quae ad alios sonos tamen quiescebant. Sic etiam chartula, quam manu tenebam, ad certos sonos sensibiles tremores concipiebat, ad alios minimè. Pocula vitrea ad certos sonos prolatos saepissimè resonare, unicuique notum est. Scamna & sedilia, quibus incumbimus, aut insidemus

in templis, notabiliter ad congruos sonos ab organo pneumatico excitatos commoveri, non raro persentiscimus: & infinita similia. Haec autem omnia satis mira ex dictis (§. 45.) facillimè intelliguntur, siquidem varia corpora elàstica, certarum vibrationum capacia, ab aëre similibus vibrationibus agitato & allabente facile agitari posse, manifestum sit; unde corpora contremiscentia ipsis sonoris plerumque unisona deprehenduntur; quamvis in aliis etiam casibus harmonicis motus communicatio obtineri possit. Hinc intelligitur etiam, quomodo vitrea pocula, explorato priùs tono, à voce humana eundem tonum satis fortiter intonante, & sensim intendente, non tantùm commoveri, in sensibiles admodùm tremores agitari, ad sonum incitari, verum etiam penitus disrumpi queant, si major iis communicetur motus, quam partes absque solutione ferre possunt; quod aliquoties factum fuisse notissimum est. Videantur *du Hamel*, *Fogelius*, *Morhof*; qui ultimus refert, idem etiam fieri posse, si alius juxta positus scyphus aequifonus digito in gyrum acto ad sonum commoveatur. Narrat etiam *Wallius* in suis operibus mathematicis, se audivisse, quod vitrum subtile & tenue, qualia sunt ex quibus bibimus, aliquandò ruptum fuerit sonitu tubae bucinaeve propriùs admotae, ilrenuè & continuè per tempus longiusculum inflatae, sonum edentis consonum tinnitui ipsius vitri; quae omnia ex dictis facilè explicari possunt. Frangitur autem facilius vitrum magnum quam parvum, tum ob vocem unisonam graviorem, fortioriem, magis aptam ad excitandos validos tremores, tum ob majorem copiam aëris moti ad poculum appellantem, tum ob maiorem fragilitatem majoris poculi. Effectus campanarum, tormentorum bellicorum, tonitruum, similiumque sonorum vehementiorum, in frangendis corporibus, aliisque similes, ex hoc principio etiam facilè deduci possunt.

§. 47. Dùm varios sonos audimus, saepè variii motus nostros artus occupant, variosque effectus producunt; in aegris saepè evidentem molestiae sensum procreant. *Boyleus* varia hujusmodi habet exempla; sc: aegri cuiusdam manu sinistrâ truncati, qui, cùm tormenta majora exploderentur, contundi sibi penitus & communis videbatur: alterius, qui, cùm ferrum cultro raderetur, urinam retinere non poterat: huic simile est illius, qui à strepitu liquidi per epistomium decurrentis ad urinam stimulabatur: ut & aliis, qui ad lyrae sonum invitus urinam emittebat: item feminae, cui à certo musicae tono lacrymae vel invitae extorquebantur: item ho-

minis, qui ab exacuatione cultri stillicidium sanguinis ex gingivis patiebatur: quod idem patiebatur alius, dum charta spissior diliceretur. Meminit etiam *Henricus ab Heer* dominae cuiusdam, quae ad sonitum campanae, aut alium quemcunque strepitum, etiam ad ipsum cantum, paraxysmo peculiari ipsam mortuae haud absimilem reddente afficiebatur. In literis *Boisotii* exemplum est virginis laborantis insignibus doloribus per totum corpus, qui summoperè renovabantur, quoties in ejus cubiculo strepitus ciceretur, aut aliquis gressibus rudioribus incederet. Ab amico observatum accepi, quod femina quaedam insignem dentis dolorem passa sit à certo sono chelyos. In semetipuis plurimi homines observare possunt, quod ad stridores quosdam aliquando dentes stupefiant, aut alia quaevis intolerabilis molestia oriatur. Innumera autem haec sunt, & quotidiana ferè talia observata, modò attendamus. Omnes autem hi motus, mutationes, dolores, molestiae, &c. ad certos excitatos sonos in corpore humano contingentes, ab aëris motu variis nostrī corporis nervis & aliis partibus communicato, conspirante simul nervorum consensu, deduci etiam debere videntur. Ex eodem fonte hauriri debent rationes variorum illorum & mirabilium phaenomenorum in tarantulis, & ab iisdem demorsis observatorum; ut & variorum effectuum sonorum in aegris, eorumque morborum curatione. Hinc etiam deducendi sunt Musices effectus in movendis animi affectibus quibuscumque, cum detur certa relatio inter tonos & dispositiones nostrorum organorum, ut & inter has & nostras ideas. Hac arte movendi ad libitum auditoris affectus maximè excelluerunt veteres, undè tantoperè ab illis laudantur vires Musices.

§. 48. Ex dictis (§. 45, 46, 47.) clare appetat, quod, si in aëre excitetur sonus, omnia corpora vicina ipsi corpori sonanti unisona, vel harmonica, adeoque tremores recipere valentia, etiam contremiscant; &, si tremores sint satis validi, resonent, sic sonum primarium roborent, confortent, augeant. Hoc fundamento nittitur, quod veteres voces cantantium in suis theatris ita augerent & confortarent ope vasorum aeneorum, quae locabant circulariter, & ad eandem à cantante distantiam; quae vasa sonum maximè non tantum repercutiebant, sed & resonabant simul. Hinc fit, quod sonus ejusdem instrumenti saepè tam varius deprehendatur pro varietate corporum resonantium vicinorum, quorum characterem sonus saepè induit, ut in multis occasionibus experimur. Hinc etiam intelligi potest, cur in eodem loco non omnes soni aequè resonent?

nent? Sic observatus est sub quodam arcu certus prae aliis resonare tonus, ut habet Boyle. Sic experimur aliquando, quod idem in strumentum plus resonet in certo loco, si ejus chordae ad certum tonum sint tensae, quam si ad alium. Sic ipse saepius observavi, quod certus sonus in certo loco magis intenderetur & resonaret, quam reliqui in eodem, aut idem in aliis locis. Sic de echo melius duos determinatos sonos reflectente, quam quoslibet alios, observationem habet Cartesius. Sic sonum campanae apparuisse quintâ altiore uno in loco, quam alio, observavit Perrault. (vide §. 28.) Haec omnia à quâdam partium reflectentium cum his sonis convenientiâ, & requisitâ ad hos tonos facilius quam alios reflectendos dispositione, deducenda videntur. Hinc fortè aliquando oriri possunt soni illi varii acuti harmonici, qui toties comitantur vocem cantantis hominis, & in choris perpetuò fere audiuntur, (§. 38.) ut observavit Mersennus.

§. 49. Sic sponte ducimur ad considerandum sonum reflexum, ejusque phænomena. Unda sonora in obstaculum impingens, vi elasticâ ipsius aëris, non verò obstaculi, reflectitur, eodem modo ut unda aquæ reflectitur non vi elasticâ obstaculi, sed pressione aquæ ad obstaculum elevatae. Hinc corpora sonum reflectere possunt, licet sonanti unisona vel harmonica non sint, imò licet ne quidem sint elastica, ut docet aqua planâ suâ superficie sonum reflectens, ut constat ex variis observationibus. Sic putei aquam continentes teste Blanano non tantum reflectunt echus; sed saepè tam garruli sunt, ut immissæ voci etiam submissæ perbellè respondeant, vacuis multò vocaliores, & resonantiores. Narrat Kircherus, se observasse putum in atrio palatii Vaticani, voces humanas etiam submississimas tam distinctè referentem, ut homines intùs latere jurares. Quod vox in cisternam aquam continentem immissa valde intendatur, unicuique notum est. Afferit Honoratus Fabri, quod in ripâ fluminis positus loquentem ab alterâ ripâ, etiam submissâ voce, facile audiat. Juxta politam aquæ superficiem sonus etiam quam optimè propagatur, & conservatur; undē testatur du Hamel, quod tormentorum & campanarum soni longè distinctius percipiuntur in flumen ripis: affirmat Crouzaz, quod sonus optimè conservetur, & deferatur secundum tranquillum lacum: refert Schelhammerus, quod tormentum bellicum in medio maris tranquilli explosum elegantissime, & perdiù resonet. Idem etiam fit juxta quascunque aequales & politas corporum superficies; undē, si superficië concavæ, circulari,

laevi, aliquis leniter quid insurget, alter in omni hujus superficie puncto exactissime illud percipiet, adstantes tamen alii minimè; ut Romae in cupola, ut appellant, Divi Petri Schelhammerus, & varii in similibus fabricis observarunt. Reflectunt undas sonoras alia corpora plus, alia minus. Optimè quidem omnia corpora elastica, valde resistentia, plana, & laevia, ut glacies, marmor, &c. Hinc fit, quod tempore hyberno in ripâ conglaciati fluminis positus facile audiat voces ab eo, qui est in alterâ ripâ, vel submissè prolatas. Sic etiam conclave, cujus parietes gypso vel calce tectoriâ probè obducti sunt & politi, maximè resonat propter soni maximam reflexionem, & ad concentum musicum aptissimum est. Corpora mollia, plumacea, flocculenta, sonum non reflectunt, sed suffocant; & sic hoc in casu idem præstant respectu radiorum phonicorum, quod corpora nigra respectu radiorum luminis. Ità parietes, lacunaria, & pavimenta, peristromatibus obducta, vix sonum reflectunt; hinc talia conclavia minimè resonant. Ità etiam in frequenti concione minus sonora videtur vox concionantis. Ità ex medio foenili clamantes ad parvam distantiam aliquando vix audiuntur. Ità arva, & in genere quaevis loca herbis obsessa minus sonum reflectunt. Ipse etiam aër multâ cadente nive surdus dicitur, quia sonus obtunditur. Tempore nebuloso eadem vox etiam minus sonora deprehenditur, ut varia observata docent; tunc enim ex observatione Schelhameri sonus Sclopeti vix centum passus exaudiri potest. Si corpora reflectentia sint non tantum elastica, sed sono excitato unisona vel harmonica, contremiscunt, & oriuntur phænomena §. 48. & antecedentibus memorata, aut his similia. Ex dictis facile liquet, cur omnia corpora plana & solida, ut muri domorum, maenia urbium complanata, rupes montium, &c. sonos reflectant, & echus reddant? est enim haec vocis repetitio nil nisi reflexus sonus separatim auditus, unde elegantissime imago vocis à Virgilio dicitur. Ab arboribus, frondibus, virgultis, similibusque corporibus sonum reflecti, variae etiam docent observationes. Sic in sylvis multiplicatur sonus tubarum, sclopetorum, bombardarum; unde fit ille bombus, & diuturna obmurmuratio, quæ ibi auditur. In sylvis inveniri saepissime echus, unicuique notum est. De canis latratu à saltus arboribus multiplicato observatio videri potest apud Sturmum. Virgulta echum reflectentia observavit Kircherus, iis enim excisis disparuit echo. Dùm autem undae ab obstaculo reflectuntur, quælibet

libet lineae seu radii habent angulos reflexionis angulis incidentiae aequales, ut geometra facilè demonstrat, & quidem eodem modo, quo illud de corporibus in obstacula elastica impingentibus, vel de undis aqueis reflexis demonstratur: tuncque simul, ut etiam geometrae demonstrant, rectae erunt minimae omnium quae ab obstaculo ad bina puncta ad eadem parte obstaculi posita duci possunt. Hinc liquet, si perpendiculariter undae pars incidat in obstaculum, ad centrum sonorum eandem reflecti; nunquam verò si incidentia sit obliqua: undè patet, cur innumera objecta ad sonorum non reflectant echus, alia quidem? quod saepè mirantur ignari homines, ad has circumstantias non attendentes. Demonstratur etiam facillimè, quod pars objecti phonocamptri plani ad ipsum sonorum vel alium quemlibet sonum reflectens sit admodum parva; indè saepè parietes admodum exigui, aut corpora admodum parva, perfectè echus reflectunt. Liquet etiam, quod rotunda corpora convexa debeant dispergere radios phonicos, concava verò eosdem colligere. Sic si in centro sphaerae positum foret sonorum, omnis sonus ad centrum reflecteretur. Hinc non mirum, quod antiqua theatra, quae rotunda fuisse perhibentur, tam bellè resonantia fuisse dicantur. Liquet etiam, cur saepè dicamus, nos ibi sonos audire, ubi re verâ non sunt? dum scilicet accipimus sonum ab eo loco reflexum; referimus enim semper sonum illic, undè radii directè ad nos tendunt: tales deceptiones unusquisque in multis occasionibus experitur. Sic, si aliquis in scaphâ (quam belgae vocant *een Trekschuit*) ad clavum sedens voce, tibiâ, vel fidibus cantet; illi, qui intra scapham sedent, vix sonum ullum audiunt, dum scapha transit apertos campos; satis intensum verò, si aedificia in ripis exstructa sint; sed tunc videtur sonus provenire ab ipsis aedificiis ibidem positis, quia indè reflectitur. Sonum reflexione in unum locum determinatum, collectum, fore intensorem, satis manifestum est. (§. 43.) Ex hac causâ, immisso intra vacuum dolium, puteum, cisternam, similiaque angustiora loca capite, vox itâ intenditur. Hinc sub dio in planicie apertâ omnia sunt minus sonora, quam intra conclave alicujus septa. Sic ambulantes per planities arenosas, ubi nulla sunt elevatoria loca, dum loquuntur, tantum mufitare videntur. Hinc etiam soni tonitruum, sclopotorum, &c. magis debiles sunt in montibus, quam in vallibus inter montes; & innumera alia. Radiorum autem determinatio dependet à figurâ & situ reflectentis, ut ea, quae in catoptricis demonstrantur, ad phonocamps in translata, evincunt.

S I A R U D U A N I
DISSESSATIO PHILOSOPHICA

§. 50. Liquet ex dictis, (§. 49.) quod sonus, qui nostras aures percutit, non solummodo sit ille, qui directè à corpore sonoro ad nos pervenit; sed etiam qui à vicini corporibus ad nos reflectitur. Licet autem ultimus ille plus spatii percurrat, adeoque plus temporis impendat, haec tamen differentia ob maximam soni velocitatem non est sensibilis auribus nostris, nisi distantia sit nimis magna. Sic sonus campanae percussæ per tempus aliquod durans, etiam nobis videtur continuus, non interruptus; cum tamen sint innumeri ictus successivè appellentes, & ferientes tympanum nostrum, ob celeritatem, quā si invicem insequuntur, non distinguendi. Sic titio circumrotatus ostendit menti circulum ignitum, & trochus maculâ notatus circulum coloratum, &c. Si verò illud tempus intermedium sensibile fiat auri, ita ut vox primaria & reflexa distinctè audiri possint, fit echo. Hoc ergo ut fiat, requiritur distantia satis magna; quae quanta esse debeat, ut brevissimus prolatus sonus reflexus distinctè audiri possit, determinari potest ex cognitâ sonorum velocitate, si minimum sensibile auri tempusculum determinatum sit; dimidium enim longitudinis, quam sonus in hoc tempusculo percurrit, erit distantia minima inter sonorum & reflectens, ut sonus primarius & reflexus distinctè audiantur, & sic fiat echo celerrimè & non nisi unam syllabam respondens. Hanc minimam distantiam variis experimentis institutis *Blancanus* invenit 24. passuum geometricorum, sive pedum 120; *Mersennus* eam vult 100 pedum: *Kircherus* medium eligit 110 pedum. Haec autem satis crassè tantum per experimenta haberi potest; & variatur, variata foni velocitate. Hinc autem facile liquet, quam ineptissima sit illorum sententia, qui putant nullas in aure fieri reflexiones, ne fieret echo. Cur in aedium cameris, & in locis omnibus talem distantiam non admittentibus, quidem sonus intenditur; sed nulla fiat echo? Cur paries, vel quodvis planum obstaculum nullam echum reflectat ad propè sitos; sed quidem ad illos, qui longius inde distant? Cur putei profundi admodum reddant echus; si verò aquâ sint pleniores, minimè, sed quidem intensior appareat immissa vox? & innumera alia his similia. Ex his etiam liquet, quod, quod major sit distantia inter sonorum & reflectens, eo major sit mora inter auditum sonum primarium & reflexum; hinc tanto plures syllabas tunc poterit repetere echo: suntque tempus, distantia, duratio repetitae vocis, semper in eadem ratione propter soni velocitatem uniformem; (§. 42.) undè, uno

uno cognito, reliqua facilè determinantur. Sic potest semper echo repeteret tot syllabas, quot distinctè pronunciari possunt eo tempore, quo sonus potest percurrere duplam distantiam reflectentis à sonoro: &, si illicò, ac loquens desinat, echo omnes syllabas repeatat; distantia reflectentis à sonoro est $\frac{1}{2}$ illius spatii, quod sonus percurrere potest eo tempore, quod prolationi syllabarum est impensum: &c. Sic potest reddi integrum cārmen hexamētrū, si modò vox sit satis robusta, ut ex magnâ distantiâ, qualis est necessaria, appellere in corpus reflectens, & indè redire valeat: dicit Gaffendus, se observasse aliquandò redditos plures tubae sonos, quam necessariae syllabae fuissent ad versum hexamētrū. Cùm sonus in suo progressu debilitetur, (§. 44.) patet, sonum reflexum fore semper primario debiliorem; ut & debiliorem, si reflectens plus distet; contrà, si minùs: hinc echus reflectentes plurimas syllabas sunt etiam debiles admodùm. &c. Si sonus eousque decrescat, ut amplius audiri non possit, ibì desinere dicitur, & dicitur ibì terminus potestatis ejus; distantia autem, quae est inter hunc terminum & centrum sonorum, dicitur linea actionis, quae varia est pro soni intensitate, vento, homine magis vel minùs acutè audiēte, &c. variis: undè facilè liquet, maximam distantiam, è quâ vox reflexa à loquente audiri potest, esse circiter $\frac{1}{2}$ lineæ actionis, posito quod radii sonori immutati reflectantur, ut plerūmque sit à corporibus elasticis; sed tunc simul echo erit omnium audibilium debilissima, & numerus repetitarum syllabarum maximus. Si nunc pronunciētur plures syllabae, quam ferat objecti phonocamptri à centro phonico distantia, syllabae primò reflexae jàm perveniunt ad loquentem, antequàm loqui desinat; & hinc à voce primariâ, fortiore, adhuc durante, suffocantur, & non audiuntur: eà verò cessante, reliquæ distinctè audiuntur. Hinc liquet, cur echus videantur ut plurimùm tantùm ultimas syllabas repetere? Cur, quò propius ad reflectens accedas, pronunciatis iisdem vocabulis, eò pauciores syllabae repetantur, donec tandem tota echo dispareat; contrà, si indè recedas? Cùm soni velocitas sit uniformis, (§. 42.) etiam clare patet, sonum in suo itu & reditu per eandem distantiam idem impendere tempus: undè liquet, sonum directum aequè citò audiri ex duplā, ac audiatur sonus reflexus ex subduplicata longitudine, nisi forte variae factae fuerint reflexiones, antequàm sonus ad sonorum redeat, in quo casu tempus crescit in eādem ratione cum viâ percursâ, & fieri potuit, quod sonus directus audiretur citius ex duplā

quam echo ex subdupla distantia, quod se observasse dicit *Mersennus*; illud autem in omni echo fieri, falsum est. Ex dictis etiam manifestum jam est, quod vox reflexa & directa sibi mutuo occurrentes, invicem non impedian, nec perturbent in propagatione; nam si plures syllabae repetantur, quod saepè fit, priores jam reflexae occurunt reliquis, dum adhuc directe propagantur, nulla verò fit perturbatio, omnes enim distinctè audiuntur. Idem observatur etiam in sonis directis, à partibus oppositis venientibus, se mutuo non destruentibus. Hinc undae aëriae se mutuo non perturbant: illudque etiam videmus in undis aqueis, excitatis in superficie stagnantis aquae, se mutuo non perturbantibus, dum juxta varias directiones moventur. Hinc liquet, quid judicandum sit de eorum opinionibus, qui volunt, echum tantum repetere ultimas syllabas, quia primae occurrentes directis destruuntur: puteos non reflectere echus, nisi sub dio sint; quia binae reflexiones sibi contrariae, una ab aquâ ex puteo sursum, alia à tecto vel fornice deorsum versus, sibi mutuo occurrentes, se invicem turbant & destruunt: homines simul loquentes in partes oppositas, se mutuo audire non posse ob conflictum undarum se mutuo perturbantium: & in genere quosvis sonos oppositos se invicem impedire & turbare: similiaque alia; ipsâ enim experientia refelluntur.

§. 51. Ex his (§. 49. & 50.) intelliguntur praecipua, quae ad echus monophonas, & quidem monosyllabas, disyllabas, polysyllabas, pertinent. Facile etiam ex iisdem principiis deduci possunt illa, quae ad echus polyphonas spectant: hae enim fiunt, si dentur plura objecta phonocampтика, ad varias à centro sonoro distancias posita; vel etiam ex repetita reflexione, factâ à corporibus sibi mutuo oppositis, vicissimque reflectentibus sonum. Varia echus phaenomena apud auctores notata sunt, quae primò apparent satis mirabilia, sed ex dictis principiis & cognitis circumstantiis satis commodè deduci & explicari possunt. Sic de echo Altorfinâ, pro variâ à reflectente distantia reddente 3, 7, 9, 11 syllabas, annotationem vide apud *Sturmium*. Echum tranquillâ nocte 14 syllabas redditem observavit *Mersennus*. De Echo in provinciâ Oxiensi dicuntur, quod tranquillo caelo 20 syllabas repeatat. Echum triphonam annotavit *Pausanias*: talem etiam audivit *Cardanus*: tales saepè audiuntur, & in hac urbe talem inveni. Pentaphonam echum invenit *Blancanus*. Tetraphonam aut pentaphonam in Ægypti pyramidibus audiri, scriptores referunt. Heptaphonam in por-

porticu Olympiae pro miraculo nobis narrat *Plinius*: similis etiam fit mentio apud *Lucretium*. His autem multò mirabiliores echus fuerunt *Ticinensis* à *Cardano* descripta; *Mediolanensis*, quae auditur in villâ *Simonetta*, à *Blancano* & *Kirchero* descripta; illa quae in facello *Carentonii* prope *Lutetiam* audita est à *Verulamio*: haec enim ter decies & amplius, imò innumeris vicibus acceptas voces remittebant. Similem etiam *Bruxellis* se invenisse ter decies vocem acceptam reddentem, testatur *du Hamel*. Mirabilis etiam echo, varia admiranda phaenomena praebens, dependens à pariete reflectente circulariter concavo, prope *Rothomagum* invenitur: *vide Acad. Royal de Scienſ. A. 1692*. Sunt multae adhuc aliae, quarum omnium causae physicae ex omnibus circumstantiis probè perspectis, & cognitis soni proprietatis, deducendae sunt. Ex his ergò omnia, quae ad phonocampfin tam naturalem quam artificialem spectant, intelligi possunt. Elegantissimum praecedentis seculi inventum fuit tuba stentorea, quā multū augetur sonus, & tam longē deferri potest, quia undarum sonorarum partes reflexae colliguntur, uniuntur, ad parallelismum disponuntur, & sic minus dissipatae, unitis viribus fortiores, longius deferuntur, & simul intensiorem sonum efficiunt. Horum autem instrumentorum proprietates ex cognitâ eorum figurâ, & notis curvarum proprietatis, deduci & intelligi possunt. Sic si figura sit parabolæ circa lineam axi ad distantiam $\frac{1}{4}$ partis pollicis parallelam rotantis, erit perfectissima: si enim fiat sonus in axe machinae, & foco parabolæ, omnes undae ita reflectentur, ut quaevis harum partes motum acquirant axi machinae parallelum. Ope talium instrumentorum sonus ad ingentem distantiam deferri potest. Tubi sive canales simplices sonos integros, non dissipatos, mirificè conservant, propagant, & longissimè transmittunt. Sic experientia docet, canalem 200 pedum voces uni extremo immissas, licet submissas, distinctissimè reddere ex altero. Sic per canales 500 pedum & amplius voces immissae deferri; & ope talium canalium homines ad tantam distantiam colloqui possunt. Sic etiam canales ampli orificii sonum exceptum ex lato in angustum colligunt, & sic eundem mirè augent, ut unicuique satis notum: docet hoc clare cornicula surdastrorum. Quid tubi cochleati praestent, etiam cognitum est, & satis patet ex iis, quae memorantur de antro *Dionysii* *Syracusarum Tyranni*. Mirabile appetet, quod vox audiri possit ad aliquam distantiam majorem, quae ad minorem non auditur;

quod tamen fieri potest ope concavi reflectentis sphærici, vel parabolici, vel elliptici: radii enim directi nimis debiles ad exanimandum sonum, reflexi, collecti, uniti, sonum audibilem in foto exhibent: idem fit, si sonus juxta politas corporum superficies deferatur. Innumera alia sunt machinamenta mirabilia admodum, quae nec compendio enarrari, nec hic pro dignitate explicari possunt, de quibus videndi sunt auctores, quorumque effectus excoignitâ fabricâ, & jactis his fundamentis, deduci & intelligi possunt.

S. 52. Praeter aërem alia adhuc sunt media, per quae sonus defertur. Tale enim etiam est aqua, ut docent urinatores, qui sub aquis se sonos audire testantur. Sic hortulanus ille, de quo *Pedelinus*, in aquas octodecim ulnas altas demersus, ibi campanas sonantes licet obscurius audivit. *Digbaeus* se aquac immersum sonos in aëre editos licet obtusiores perceperisse affirmat. Idem testantur natantes sub aquis demersi. Pisces audire sub aquâ testatur *Plinius*; & hodiè hoc constat, cum in quibusdam locis sono tintinnabuli, vel simili ad pastum vocentur. De piscibus sono capitundis varia inveniuntur in variis *Actorum Lipsiensium* locis exempla. Si etiam aquae immissa campanula agitetur, vel percutiatur, sonum edit, licet admodum obtusum, & eò quidem obtusorem, quod profundiūs immergatur; adeò ut si nimis altè immissa sit, ejus sonus non amplius audiatur. *Gassendus* etiam exemplum habet urinatoris campanâ urinatoriâ obvoluti, in aquas per decem orgyjas descendenter, ibique tormentorum ictus non amplius audientis. Ex quibus liquet, quod per aquam etiam propagetur sonus: & quidem, sive ad aquam sonus per aërem primò delatus fuerit, sive aqua ab ipso corpore sonante sonum acceperit; undè, si tam auditor quam sonorum corpus sub aquâ mergantur, percussi corporis sonus etiam audietur, si modò distantiâ non sit nimis magna. Quomodo sonus per aquam defertur, & juxta quas leges, ignoro. Non enim fieri potest ope aëris aquae interspersi, hic enim ibi omnes dotes elateris amittit, saltem non exercere potest: nec etiam per alternam compressionem & relaxationem ipsius aquae, quia aqua, quantum experimenta docent, compressilis & elastica non est. Tamen videtur in aquâ motus quidam undulatorius fieri. Sic observavit *Kircherus*, quod, cum urinatores percuterent lassa submarina, ad singulos ictus aqua perfectè in superficie crisparetur, non secùs ac si vento tenui agitaretur; & post agitationem perciperetur sonus obtusior. Observavit praeterea crispatiōnē majorem, si in loco aquae super-

superficiei viciniori; minorem, si in profundiori; penitus evanescere, si in loco profundissimo cum aequali vehementia fierent ictus: idemque etiam verum esse de sono. Similem motum undalatorium observamus in aquâ contentâ in scypho vitreo, dum digito mafacto marginem ejus ambiente ad sonum sollicitatur (§. 30.) Dum autem corpora sonora in aquam merguntur, sonus eorum sit gravior (§. 28. & 30); & observavit *Mersennus*, quod sonus alicujus campanulae fuerit decimâ majore gravior in aquâ quam in aëre. Idem ille observavit etiam, quod in lacte & in oleo vix sensibilem ederet sonum campanula, licet malleus ad ejus labrum allideret; in vino verò satis sensibilem. An autem, & quomodo alia fluida sonos deferant, per experimenta indagandum est.

§. 53. Solida corpora etiam sonos deferunt, ut ex sequentibus evidens est. Si longae admodum trabis uni extremo auris applicetur, & alteri vel levissimus impingatur ictus, illicè ejus sonus percipitur; licet ille, qui prope trabem consilit, sed non applicatâ ad eandem aure, sonum non audiat. Si funi alligetur forceps, & funis extrema digitis circumducantur, hisque obturentur aures, & forceps allidatur duro corpori, v: gr: parieti; ingens, qualis est majoris campanae, sonus percipitur, quamvis ad circumstantium aures minimus tantum sonitus perveniat, ut vel pueris notissimum est. Si auris terrae, vel tympano terrae imposito admoveatur, equorum currentium, aut curruum, adhuc procul admodum verbi gr: per aliquot millaria distantium, sonitus clare auditur; ubi, aure terrae non admotâ, nihil vel ab attendente percipitur. Si in recipiente clauso probè, sed non educto aëre, agitetur campanula; sonus auditur, licet aër externus cum interiori nullam habeat communicationem, qui tamen educto aëre non percipitur: transit ergò hic sonus per ipsum recipiens. Praeterea, licet educatur aëris, si tantum campana ope funium alligata sit extremitatibus laminae aeneae ad instar gnomonis dupli inflexae, quae lamina cum orbe aeneo machinae pneumaticae cohaeret ope cochleae, tamen sonus auditur; & parva admodum est differentia inter sonos admissos & exhaustos aëre auditos. Ex his patet, quod sonus excitatus in quâdam corporis solidi parte, per illud totum transmittatur; quod ab uno corpore solido in alia contigua transferatur, & ab iisdem in aërem; quod etiam ab allabente aëre sonoro ipsa solida in se recipient, deferant, iterum aëri communicent sonum. Hinc amplius mirum non est, quod, si quis longissimi baculi extremum mordi-

cùs teneat, obturatis auribus, sonum tamen audiat vel levissimi iectus alteri extremo impressi. Nec, quod à chordâ vel filo, dentibus prehenso, tenso, agitato, ingens percipiatur sonitus, quem adstantes minimè tam intensum audiunt. Nec, quod surdus sonum clavicymbali, aut alterius similis instrumenti, ope baculi ejus unum extremum clavicymbalo imponitur, percipere possit, si baculi illius alterum extremum dentibus prehensem teneat. Hic simul animadvertisse potest, non tantum sonum audiri posse, verum etiam distinetè omnes sonorum characteres distinguiri, ut demonstrat experientia. Idem etiam manifestum est ex Scheibammeri observatione, qui videt hominem Musices peritum, qui in virili demùm aetate ita obsuruerat, ut nihil auribus, perciperet: tamen mediante baculo, ejus alterum extremum dentibusprehendebat, alterum illi instrumenti parti, cui chordae ultimò incumbunt, applicabat, quorum cunque instrumentorum chordas in justos suos tonos perfacile & perfectè adaptabat, & sic sonos distinctissimè necessariò percipiebat: undè, ipsos diversorum tonorum characteres etiam per ipsa solida deferri, liquidò constat. Hinc itidem liquet, quod, etiamsi in experimento Kircheriano, de quo supra §. 31. mentionem fecimus, nullus adfuisset aér, sed perfectum vacuum Torricellianum, tamen facile audiri potuisset sonus: quid enim prohibet, sonum campanæ percussæ per filum, vel laminam, vel funém, quo suspendebatur ex vitro, & inde in aërem externum transferri? Quomodo sonus per solida deferatur, non difficilè dictu erit, si tantum in memoria revocemus, quidnam sit sonus in solido corpore sonoro. Dùm enim ejus sonus consistat in motu tremulo minimarum partium (§. 22;) & motus hic per totum corpus propagetur, & communicetur omnibus minimis partibus, ut liquet ex eo, quod maxima incus ex levissimo mallei iectu in omnibus suis partibus contremiscat, ut incumbentia milii grana subsilientia demonstrant; quodque, in quo cunque loco pulsetur cylindrus horizontaliter ope acuum ejus extremis infixarum suspensus, parva chartae frustula, ei diversis locis imposita, ad oculum tremant: quidn̄ motus sonorus uni extremo trabis inditus, propagabitur per totam trabem, & sic deferetur sonus? Quidn̄ hic tremulus motus, vel ab ipso solido sonoro, vel ab allabente aëre corporibus contiguis communicatus, per ea transmissus, erit soni vector? Nonnè in clavicymbalis, spinettis, chelybus, omnibusque similibus instrumentis, agitatis chordis, etiam tabula lignea tremulum motum in suis partibus recipit? Et nonnè inde

de resonantia & bonitas instrumenti dependet? Ab aëre motum communicari posse solidis corporibus vicinis, ex dictis §. 45—48. fatis patet. Sonum unicè confistere in tremulo minimarum partium motu, ejusque receptionem, propagationem, communicationem, tantùm esse receptionem, propagationem, communicationem hujus motus tremuli, tam in solidis quam in fluidis, ex totâ hac dissertatione abundè patet. Hinc per solida corpora sonus non propagatur, quia aër fibris rectis aut rectâ meatuum ferie conclusus, non diffusus, integris viribus desertur, ut quidam conjecturant: qui enim sunt pori, per quos transit aër, in vitro, in ligno, in metallis; certè tunc ex recipiente ope antliae pneumaticae nunquam aër educi posset. Non etiam quaedam materia subtilis, aut quaedam particulae salinae, per solida sonum deferunt; quia haec non sunt media, per quae sonus desertur. (§. 31.)

§. 54. Ex his nunc facile intelligitur, quomodo simplex chordarum sonus differat ab eo, qui auditur, dum super instrumentorum tabulis tensae agitantur? Cur eadem chordae, eodem modo agitatae, sed diversis instrumentis applicatae, diversum in iis sonum excitent? quod experimur, si eadem chordae tantum variis clavicymbalis, vel chelybus variis applicentur. Dum enim tabulae ligneae (quam Belgae vocant *de Zangbodem*) partes minima etiam tremulo motu agitantur, & resonent; & aër in cavis illis ventribus, quibus plurima chordis constantia corpora gaudent, vario modo agitetur & remugiat; sonus tunc minimè simplex, sed maximè compositus est, & varius pro variis partibus resonantibus, vario ligno, variâ crassitate hujus tabulae, & totius instrumenti constructione. Hinc, saepè tanta in sono diversitas, pro materiae, ex quâ instrumentum constructum est, diversitate. Hinc sit, quod instrumentorum ejusdem generis unum tanto melius & resonantius sit alio. Hinc, suffocato tremore, adeoque sono chordae, sonus in ipso instrumento adhuc aliquamdiu permanet, & auditur. Manifestum etiam est, quam compositus & minimè simplex sit sonus iste, quem nos audimus, dum chorda, vel campana, vel aliud sonorum corpus agitetur: est enim aggregatum omnium sonolorum excitatorum à tremoribus singularium minimarum partium; sonolorum omnium a corporibus vicinis reflexorum, concurrentium; sonolorum omnium corporum harmonicorum contremiscerentium, & resonantium; quibus in instrumentis chordis constantibus adjungitur sonus omnis resonantis tabulae ligneae, excitatus à tremoribus particularum ejus: qui omnes

soni juncti formant unicum apparentem nobis simplicem sonum, constantem variis etiam diversis tonis, qui omnes etiam uniti apparent nobis, quasi forent unus simplex tonus, dum plerumque harmonici sint inter se, & dissonantes ita à reliquis suffocentur, ut audiri non possint, quod in organis quam optimè observari potest, ubi homines solo aurium judicio ducti illud fecere. Ex his autem pleraque sonorum phænomena satis commodè deduci & intelligi possunt; quare necessarium est, ut his, quae limites inauguralis dissertationis jam excedunt, tandem optatus imponatur

F I N I S.

A N N E X A.

I.

Philosophum decet potius liberrimè fateri ignorantiam, quam fictas obtrudere hypotheses.

II.

Hinc, damnata fingendi libido, Physicus observare debet corporum proprietates, effectus; & ex iisdem collectis, certis, castissimè rationando, rerum caussas investigare.

III.

Addeoque Physico utilis & necessaria est Mathesis.

IV.

Casta haec Physica, omnium certissima, à bono Medico abesse non potest.

V.

Est enim tota scientia Medica tantum Physica corporis humani.

